cltatis commercium abrumpat. *Biroat, in tomo ſeparato, queſdam in anni Dominicas Sermones complectente.*

Noſtris in orationibus non deeſt oppoſitio.

Quænam eſt orationum noſtrarum contradictio! In devotionum noſtrarum fervore, beatiſque momentis, quibus Spiritus ſanctus nobis orandi modum tradebat, ſalutem noſtram enixius, ac præ cæteris quibuſcumque bonis popoſcimus; oravimus Deum, ut omnia noſtra huic uni poſthaberet; teſtati ſumus, quacumque via ille nos ad ſe perduceret, hanc nobis ſemper fore ſuaviſſimam. Niſi oratio hæc illum nobis conciliaſſet, prope fortaſſe erat, ut nos in corruptas ſæculi vias abire pateretur. Nos voti damnavit, atque hoc pacto oſtendit, non aliam fuiſſe viam, qua certam faceret noſtram ſalutem, quam eam calamitatem, & ægritudinem, qua nos percuſſit. Hodie vero hæc nos terret via; ea, quæ fecimus, improbamus: væ nobis, ſi nos Deus exaudit. *P. Cheminais in ſenſibus pietatis.*

Precibus noſtris Deus non fatigatur.

Mortalium neminem aſſiduus de rebus noſtris ſermo non delaſſaret: attamen, Domine, non mediocre meritum puto de illis apud te indeſinenter habere ſermonem. Scio paterna viſcera tua noſtris commoveri neceſſitatibus, atque te melius, quam nos, quid nobis ſit opus, ſcientem; quæſtus noſtros audire dignaris. Verum ſemper tua abuti benevolentia, & dignatione, qua nobis adhibes aures, indignitas eſt; ſecundum mundi inſtituta, qui coram principe ſemper de ſeipſo verba faceret, tamquam importunus, parumque ſanus ejiceretur: unus tantum eſt Deus, qui noſtra non fatigetur importunitate, noſtraſque faſtidiat preces, quantumvis nimiæ videantur . . . Nonnumquam ſane noſipſe repellis, atque aures noſtris clamoribus obſtruis; ſed fruſtra hoc ſimulas, atque temet ad ſeveritatem componis; te bene novimus, idem erga nos ſemper es, ac dicere poſſumus, te numquam melius pro nobis dimicare, quam cum contra nos dimicare videris. Si enim certas, ideo certas, ut vincaris, & reſiſtis, ut cogaris. Similis oppidorum ducibus, qui inito cum hoſte pacto, reſiſtunt, ut ſeſe dedant: *Amat vim pati, deſiderat a te ſuperari*, quidam Sanctus Pater ait. Hoc in Chananeæ exemplo innoteſcit; poſtquam aliquandiu reſiſtit, tandem ſe victam fatetur. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Quid petendum a Deo in oratione.

Quemadmodum Salvator nihil nobis concedit, niſi quod ſaluti noſtræ prodeſſe poteſt; non licet aliquid ab eo, vel propter aliud finem petere, vel alia mente uti. Non eſt igitur malum a Jeſu Chriſto temporalia quærere; ſed malum eſt quærere ſolum temporalia, hæc tantum concupiſcere, & ſacrificium non offerre, niſi ut terrena tantum bona aſſequaris. Nihil hujuſmodi orationibus permittere poteſt, niſi per juſtitiam, atque in orantium pœnam . . . . Hanc igitur regulam ſequi opus eſt. Primum quidem ea petenda ſunt, quæ bona ſint; petere enim ea, quæ injuſta, vel mala ſunt, idem eſt, ac velle, Deum crimini noſtro velificari. Neque ſatis eſt ea, quæ petuntur, in ſe bona eſſe, opus eſt bona eſſe ratione petentis. Bona valetudo bonum eſt; tibi vero fortaſſe non item, ſi enim bene valueris, fortaſſe te omni libidinum genere ingurgitabis. Divitiæ per ſe malæ non ſunt; at ſi dives eſſes, interires. Terrena ſemper petenda ſunt, quatenus ad ſalutem referri poſſunt; alioquin quantumvis bona ſint, nobis ſint mala. *Sermo Manuſcriptus.*

De virtute orationis in muliere Chananæa, quæ Dei filium vicit.

Hodie Cœli potentia cedit mulieris infirmitati, noſque in ancipiti relinquit, utrum magis mirum ſit, quod Deus adeo imbecillis fiat, ut hominum vi ſe vinci patiatur; an quod homo fiat ita fortis, ut Dei ſuperare valeat omnipotentiam. Obſtupeſco videns Deum, ut ita dicam, inermem, & vi ſua quodammodo exutum, quantumvis inſuperabilis illa ſit, eouſque ut a creatura ſe vinci ſinat; ſed ex altera parte non minor ſtuporis cauſa eſt, videre mulierem hanc fortem, ac ſtrenuam, novo armorum genere de illius potentia triumphantem, cui cedunt omnia, & nemo reſiſtere poteſt. Ut verbo me expediam, dignum noſtra admiratione prodigium eſt, videre Dei filium victum muliérculæ precibus, poſtquam ſeſe quodammodo contra illius vim munierat, & quodammodo ſeſe præparaverat, animumque ſuum obfirmaverat, ut filiæ ſalutem matri illum adeo enixe flagitanti negaret: *O mulier, magna eſt fides tua. Reina, ſermo de Oratione.*

Ab oratione ceſſandū non eſt, quamvis Deus ſtatim non audiat.

Evenire quidem poteſt, ut primum Deus nos audire velle diſſimulet. Hic pater eſt, qui diu filii ſui vitia paſſus eſt, & qui non adeo facile ſeſe dedere vult cum eo in gratiam redire quærenti. Verum ceſſandum non eſt, immo iterandæ ſunt preces, quamvis Deus illas repellere, & nobis aurem negare velle videatur. Illi dicere oportet; dixiſti, Domine, eo tempore, quo peccator ad tuam confugeret miſericordiam, te preces illius eſſe exauditurum; ego vero inceſſanter vocem, clamoremque attollo opem dexteræ tuæ periturus, & non cor, neque aures pro me habere videris; atque videtur ob oculos miſericordiæ tuæ denſum expanſum fuiſſe velum, ut voci, lacrymiſque meis aditus præcluderetur. Dic cum Jacob: nequicquam obluctaris; non dimittam te, niſi eam, quam enixe flagito, gratiam mihi conceſſeris. *P. Gevu in libro: cui titulus: Uſus pœnitentiæ.*

Orationes, quæ effūduntur corā Deo, peculiarē poſtulant attentionem.

Nullus vulgatior eſt orationis actus, & nullus fortaſſe, quo Deus minus honoretur. Omnia reſonant laudibus Domini, ac votis, quæ illi nuncupantur: verum cor, & ſpiritus in oratione cum labiis conſentiunt? Nonne vere dici poteſt, plurimas quidem recitari orationes, ſed paucas fieri? Quamvis bonum tantummodo ſenſum conſuleremus, & ideam, quam de hac ſancta exercitatione haberemus, per otium videre poſſemus, quam oſcitanter, quam tepide, & quam parum decenter hoc munus obeamus; & nonne jure ex nobis quæri poſſet, utrum Deum imitaturi precemur? Oratio colloquium eſt cum Deo, ubi anima, ut ita dicam, in ſanctuarium admiſſa, & introducta Domino ſuas exponit neceſſitates, infirmitates ſuas repræſentat, tentationes, ac fragilitatem ſuam detegit, & vivo reverentiæ, amoris, & gratitudinis ſenſu percita, cum profunda erga mandata illius ſubmiſſione, tum confidentia, & votis illum colere ſatagit. Adeo perfectus religionis actus eſſe ne poteſt praxis tantum exterior? Atque ſi quo tempore cum Deo agimus, ſpiritus eo uſque evagatur, ut ultro attentionem, interioremque devotionem amittat, hiccine Deum orat? *P. Croiſet tomo 2. Chriſtianarum conſiderationem.*

Ubique orari poteſt, dummodo oretur in ſpiritu, & veritate.

Neceſſe non eſt montem aſcendere, neque Jeroſolymam ſeſe conferre, ut in ſpiritu, & veritate adoretur: oratio tanto nobis labore non ſtat: verus cultus, ut ita dicam, ab animi noſtri affectu pendet. Deus ubique adorari poteſt, dummodo in ſpiritu, & veritate adoretur. Semper paratus noſtris neceſſitatibus ſubveniendo id unum petit, ut illæ ſibi exarrentur, atque non poſtrema conditio, quæ ad id requiratur, ut voti damnetur, hæc eſt, firmiter credere, & non hæſitanter ſperare, nos votis damnatum iri! *Credite, qui accipietis, & fiet vobis.* Turba non prohibet amplius, quominus propius accedamus ad Jeſum Chriſtum. Quantuſcumque ſit ſupplicium numerus, ſingulis, ubi volunt, privatim adhibet aures, ſemperque in noſtra poſitum eſt poteſtate alloqui quamdiu voluerimus. Numquam expectandum eſt; Domini tempus ſemper noſtrum eſt. Ad pedes illius provoluti, quamdiu placuerit, immorari poſſumus, quin Martha conqueratur. Nemo ex diſcipulis noſtram improbat importunitatem; nullius Phariſæi cenſura nobis metuenda eſt; omnia noſtræ favent pietati. *Idem.*

Ut plurimum non ſatis attente, ac reverenter oramus.

Undenam ſit, quod adeo male oramus? quia ne cogitamus quidem nos orare: quis enim adeo parum religioſus eſſet, qui adeo oſcitanter, & negligenter orare, cogitans ſe cum Deo loqui? Oratio non ſolum confidentiæ noſtræ argumentum eſt, verum etiam fidei menſura. Quis religionis actus majorem ex nobis attentionem expoſcit? Oratio inter procellas proximus eſt, ac tutiſſimus portus. Oratio æque irritos facit hoſtiles conatus, & dolos, & fieri nequit, ut non vincat, qui bene orat. Væ illi, cui inutilis oratio ſit. Verum bona fide quæſo, eo modo orantes Deum, quo illum oramus, putamuſne orationem magno nobis fore adjumento? Quamplurimi totis orant diebus, quin orent, Deus cordis dumtaxat linguam audit, & exaudit. Plura verba ſine attentione, & affectu prolata parum ſignificant apud illum, qui cultum mere exteriorem flocci pendit. Salvator intuetur ſolum fidem, interioremque devotionem pauperculæ, infirmæque mulieris fimbriam veſtimenti ſui attingentis: tubæ circumundique urgentis tumultu non afficitur; cor loquatur, oportet, & agat fides, ſi a Domino cupimus exaudiri: ſoli clamores cœci Jerichuntini parum valent, niſi Jeſu Chriſto votorum ſuorum aperit ſummam: mentis attentio, & affectio cordis anima ſunt orationis. Mirum! Neceſſitates noſtræ inevitabilem nobis injiciunt ſemper orandi neceſſitatem; atque deplorabili inverſione preces iterando ita aſſueſcimus, ut neſciamus amplius, quid fiat, cum oratur. *Idem.*

Mirantur homines, quod poſt ea, quæ de orationis certo eventu Dominus locutus eſt, adeo pauci, quod petunt, aſſequantur; verum numquid mirandum eſſet potius, ſi nobis orantibus, uti ſit, orationes noſtræ majorem vim obtinerent? Ne inſimulemus Dominum, quod promiſſi fidem minime exolvat, & gratias ſuas parcius impertiat: affectiones noſtræ, negligentia attentionis, ac religionis in precibus ipſis defectus illum, ut ita dicam, avertunt, & cogunt, ne minime exaudiat . . . . Oratio humilem poſcit ſpiritum; audetne

audetne aliquis non ſatis reverentiæ teſtari, cum principi ſupplicem offert libellum? Quis ſupplex vel minime cujuſpiam urbanitatis officii obliviſcitur? Natura ipſa nos ad reverentiam, obſequiumque componimus, cum aliquid ab hominibus precaturi accedimus: & cum Deum unum oramus, noſmet ab officiis adeo neceſſariis ſolutos exiſtimamus. Et ſane hi corporis habitus molles, & male compoſiti, hæc inquietudo, evagatio, tædium, quæ orationes noſtras comitari conſueverunt, ſuntne humilis, religioſi, plenique Deo cordis indicia? A Deo audiri volumus, & noſmetipſos non audimus: volumus, illum rationem habere orationum noſtrarum, quibus ipſi ne tum quidem advertimus, cum eas pronunciamus. In his labia Deo honorem deferunt; quæ vero cordis pars eſt iis in orationibus, quæ ex mera conſuetudine proferuntur? Dominus parum afficitur laudibus, quæ ſibi deferuntur, & votis, quæ errabundo ſpiritu nuncupantur. *Idem P. Croiſet.*

De orationis certitudine, dummodo ea petamus, quæ petenda ſunt.

Nihil denegat Deus perſeveranti confidentiæ, humilique pietati. Credite futurum, ut oratio veſtra exaudiatur, Salvator inquit, & certiſſime quidquid petitis, aſſequemini. Quare confidentia noſtra adeo infirma eſt? Quia in ejus cultu ignavi ſumus, ac inertes; ipſi negamus, quod petit ex nobis; quomodo nobis perſuadere poſſumus, ipſum nobis, quæ petimus, conceſſurum? Qui vero in orationibus ſuis neque ob reverentiæ, neque ob attentionis defectum peccant, hi plerumque in ipſo orationis fine deficiunt. Pauci enim ad orandum cupiditate aliqua minime ducuntur, pauciores adhuc juxta Domini placitum orant. *Neſcitis quid petatis*, ajebat Jeſus Chriſtus matri filiorum Zebedæi. Numquid intentiones, fineſque noſtri rectiores ſunt? Numquid puriora ſunt noſtra deſideria? Libenter tibi ſapientiam concedo, inquit Deus Salomoni, *quia poſtulaſti*; verum non ideo minus te annis, honoribus, boniſque cumulabo, quia hæc non poſtulaſti: *ſed hæc quoque, quæ non poſtulaſti, dedit tibi*. 3. Reg. 3. Deus affluenter noſtris proſpiceret neceſſitatibus, ſi orationes noſtræ ſemper eſſent chriſtianæ. *Idem.*

Deo injuriam facit qui ſine reverentia, & attentione illum orat.

Quid a Deo petere poſſunt mundi ſectatores, qui evangelii documenta faſtidiunt? Donec mundo cor abditum eſt, vota, quæ Domino nuncupantur, eſſene poſſunt ſincera? verba ipſa, quæ obſequii pleniſſima ſunt, totidem ſunt contumeliæ, cum aliud cogitas, & aliud loqueris. Quænam vero illa eſſe poteſt oratio, cum mens, & cor, atque vitæ mores palam mendacii coarguunt, quidquid labia Deo dicunt! . . . . . Sed licet iidem mortales a Deo utilia peterent, ſperarene poſſunt, ſe votorum ſummam conſecuturos, cum adeo parum reverenter ea petant? Nonne immo Deum afficere contumelia eſt, eumque ad iracundiam provocare, illud ſine attentione, ac reverentia precari; Uſquequo, Domine, patieris, peccatorem per os ſuum tuas laudes aſſumere, nonnumquam ipſe peccator inquit? Tecum impudenter loquitur ſine attentione, & obſequio, quaſi ſtupidus eſſes, omnique injuriarum, quæ tibi inferuntur, ſenſu careres: *Effunde ſuper eos iram tuam*, addit Propheta Pſ. 68. Ultionem repoſce de hac impiorum irreligione, ac nequitia, itaut ſentiant, quod quantumvis ſis patiens, neminem tamen impune tibi illudere ſinis. Etenim revera qui ita Deum alloquitur inter eas affectiones, quæ nos Dei inimicos efficiunt, non minus illudit illi, quam qui Salvatorem percutientes quærebant ab eo, ut, a quo percuteretur, divinaret. *Idem.*

Orationum multitudo improbanda non eſt.

Iterantes orationem nequaquam in periculum adducimus eam inutilem efficiendi. Injuria imputatur multitudini ſubſidiorum egeſtas eorum, qui abutuntur illis: quo magis Deum, uti decet, oramus, eo magis bene orare diſcimus. Sine intermiſſione orari jubet Apoſtolus; & quot ſunt ſancti religioſi, quorum ſomnus ipſe, & labor vix, ac ne vix quidem orationes eorum interrumpunt! Fidei defectus, ac morum nequitia effecerunt, ut nos orationis tæderet, & nimis grave jugum illius videretur. Devotionis ſocietas numquam fuit cordis vere Chriſtiani character. Tunc tædet ſervitutis, cum dominus non diligitur; tempus ſemper diuturnum videtur, cum ea, quæ fiunt, non admodum placent. Pietatem alere non eſt, illam extinguere. Metuendum non eſt, ne noceant alimenta, cum ipſe cibus famem auget. Numquid tentare fortes eſt, & infirmos atterere, arma ſuppeditare, & augere ſuppetias? *Idem.*

Felix ſtatus eorum, qui Dei laudibus recinendis vacant.

Quodnam in terris munus magis accedit ad munus Angelorum in cœlo, quam hoc die, noctuque Domini laudes recinendi, eique indeſinenter populorum vota offerendi? Quinam ſtatus beatior? Quis ſanctior miniſter! Sæcularibus expeditos curis ſacris tantum divini cultus miniſteriis vacare: ſanctuarii incolas jugiter ex officio ad Jeſu Chriſti pedes adſtare: ab Eccleſia deputatos omnium fidelium nomine Dominum alloqui: ut olim Moyſes inceſſanter manus, oculoſque attollere in cœlum pro illis, qui cum ſalutis hoſte decertant: ut olim Gedeon, iteratis clamoribus referre victorias; & ſingulari privilegio in terris novum efficere mortalium Angelorum chorum dies ſuos traducentium æternas Altiſſimo actiones gratiarum reddendo illi, nuncupando vota, & ſingulis horis ſacrificium laudis offerendo. *P. Croiſet, tomo 2. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Publicarum orationum virtus.

Conjunctæ fidelium preces quam vim non habent! Sæpe exaudiuntur, inquit Propheta, antequam etiam abſolvantur: *Adhuc illis loquentibus, ego audiam*. Nihil negatur ineffabilibus Spiritus ſancti gemitibus omnes eccleſiæ preces animantis. Si Dominus adeo ſolemni jurejurando ſeipſum adegerat ad ea exaudienda vota, quæ in veteris legis templo fiebant; quænam erit votorum novæ legis prærogativa? Omnia cedunt, ut ita dicam, merito, & efficaciæ divini officii, in ſpiritu, & veritate, pura, ſanctaque mente celebrati. Hoc illud eſt laudis ſacrificium, quod veteribus holocauſtis Deus præfert. Cum juſta concipitur religionis idea, non aliud cogitari poteſt de publica oratione, quæ cum ipſa eccleſia nata eſt, & quam temporum omnium conſuetudo probavit. Illa, quam effuderunt Apoſtoli, ut Spiritui ſancto recipiendo ſeſe diſponerent, cæterarum exemplum fuiſſe videtur. Hic idem ille ſpiritus eſt, qui tot ſanctorum myriades impulit, ut omnes dies ſuos religioſo huic muneri devoverent: & quis alius ſpiritus tot fidelibus mentem injicere potuiſſet, ut tot elargirentur opes in victum eorum, qui Dei laudibus tantummodo recinendis erant deſtinati? Hinc frequentiſſimæ illæ electorum Dei ſocietates, eccleſiæ a primis uſque illius exordiis ornamentum. Hinc opimæ cœnobiorum inſtitutiones, æterna pietatis primorum fidelium monumenta. *Idem.*

Publica oratio Deo acceptior privata.

Quot pauperes privatæ vacant orationi, quibus Jeſus Chriſtus parum favere videtur! Nihil negatur, ex quo omnes ſimul diſcipuli ſuas preces, & vota conjungunt. Cave, ne orationum proximitati, cæremoniarum uniformitati, repetitionum frequentiæ, quibus divinum abundant officium, acceptam referas nauſeam, qua publicam orationem faſtidis. Nauſeam non epularum lautities parit, ſed malæ ægrotantis ſtomachi affectiones, quæ illum fatigant, & inutile efficiunt tempus, quod impendit cœnæ, ubi per otium veſci poſſet. Viſne in adeo ſancta exercitatione nullam experiri crucem, nullam diuturnitatem? Guſtare vis muneris adeo perfecti ſuavitatem; accede corde puro, religioſa mente, fide viva; quamprimum cœleſtis unctio leve hoc tibi jugum præbebit: Nemo faſtidium metuit, qui quod facit, amat. *Idem.*

Nullum majoris momenti munus eſt, quam divinum officium recitare: verum qua reverentia, qua attentione, qua pietate, quo zelo recitatur? Negligenter vel ab innixis, vel a ſemiſopitis cum aliis profertur, quin plerumque intelligatur, quod dicitur; vocis tonus, quam ſine ulla conſideratione habitus format; recitatio præceps, quæ nauſeam, tædiumque palam teſtatur; ſemiverſiculus oſcitanter cum aliis prolatus, dimidiata genuflexio, contracta frons in cæremoniæ formam, corporis habitus ubique profanus, & ſæcularis: quis pudor, Domine, ſi hæc vera eſt plerorumque miniſtrorum tuorum imago? . . . Credetne quiſpiam ſuo orandi muneri ſatisfeciſſe, cum Deus irreligioſas has preces nobis crimini vertet? Oranti ſpiritus effugit, verum eſt; ſed corde orante longius non recedit; quædam diſtractiones invitis etiam ſuboriuntur, verum eſt; at numquam inviti pietate, modeſtia, reverentia in oratione caremus. Haud præcipiti cum feſtinatione loquere, cum viva fide preces effunde, orationem tamquam potiſſimum officium tuum cogita, tuum munus adimple, ac ſemper chriſtiano more precaberis. Deum orans cogita Deum a te orari, conſidera orationem, quæ de præcepto eſt, non ſe ſimplicem devotionis orationem; linguam proferre debere ſermones cordis, ob orantis animum verſari ſemper debere objectum cordis ſui, & decorum, ac reverentiam neceſſario in quovis religionis actu requiri. *Idem.*

Quomodo orandus eſt Deus.

Orandum eſt agendo, & agendum fatendo, voluntatem, & actionem a Deo nobis tribui. Hoc egregie S. Auguſtinus explicuit, cum ait, nos *humiliter petendo, & faciendo* pares fieri gratiæ Dei recipiendæ, ejuſque Spiritui in nos attrahendo. Hæc paucis contenta verbis tota eſt vitæ regula. Primum enim orandum eſt, ut obtineamus gratiam id faciendi, quod præcipit Deus. Fides per orationem obtinet, quod lex imperat per præcepta. Sed ſatis non eſt orare, cum profunda hu-

da humilitate orandum eſt. Fatendum eſt, nos ex nobis nihil omnino boni facere poſſe, & indignos eſſe eam, quam petimus, gratiam obtinendi, quin immo eam bene petendi. Neque etiam ſatis eſt humiliter petere, opus eſt facientes, quod poſſumus, actionem noſtram quamdam veluti orationem efficere, ut a Deo, quod minime poſſumus, obtineamus. Itaque ſatis non eſt, eum, quem Deus tangere incipit, orare ſolum perfectæ converſionis gratiam; eleemoſynas erroget, opus eſt, ſi vires patiuntur, relinquat occaſiones, quæ illi nocere poſſunt, ac denique nihil intentatum relinquat, quod illum a ſeipſo divellere, ac Deo propiorem facere poteſt. *Liber, cui titulus: Chriſtiana rudimenta pro decimaquarta poſt Pentecoſtem Dominica.*

A Deo in orationibus petendum, quod ipſe nobis utile cenſuerit, non id, quod optamus.

Non deſunt, qui ægre, & gravate ferunt, ſe a Deo non exaudiri, cum in orationibus ſuis aliquid ab illo petunt, quod ſibi bonum minime videatur. Abſolutum Dei lædunt imperium determinare volentes bona illius, atque judicium ferentes de bono, vel malo, quod inexplorata Domini voluntate orationibus ſuis ineſſe arbitrantur. Hoc profecto eſt ſe indignos iis, quas poſtulant, gratiis præbere; quippe humilitas noſtra, ut Tertullianus inquit, ſola via eſt, qua illas conſequi poſſumus. Oraturis, ut opus eſt, minus orandum eſt, ut voti damnemur, quam ut Deum de neceſſitatibus noſtris conſulamus. Anima, quæ Deum pure amat, ſatis ſibi putat, illi ſuam egeſtatem teſtari; eamque eidem exponens ſanctarum Lazari ſororum imitatur exemplum: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Joan. 11. *Auct. Anonymus.*

In oratione quodlibet auxilii, bonique genus invenitur.

Cum miſeri, egenique ſimus, voluiſti Domine, opem in oratione nos invenire, qua quidem nullum ſubſidium promptius eſſe poteſt, atque validius. Utque illam majori haberemus in pretio, nobis polliceri voluiſti te nihil eorum negaturum, quæ in filii tui nomine petierimus, noſque in oratione repertuross, quidquid poſſumus deſiderare. Volumuſne tibi honorem deferre? Oratio ſacrificium eſt, quippe ſincera eſt confeſſio ſupremæ poteſtatis, quam in res omnes exerces. Volumuſne de tentationibus, quibus laceſſimur, victoriam referre? Oratio dæmonis flagellum eſt. Infirmi ſumus? Oratio robur addit. Ægrotamus? Oratio nobis ſolatium eſt. Alii nos perſequuntur? Oratio ſubſidium nobis eſt, atque perfugium. Sitit anima noſtra? Oratio fons eſt aquæ ſalientis, atque viventis; illa nos ad Deum uſque attollit; illa Deum ad nos uſque demittit. Verum ut nos hoc pacto attollat, manare debet ex corde puro; alioquin peccatorum noſtrorum pondus prohiberet, ne uſque ad ſolium Omnipotentis aſcenderet. *Auctor Anonymus.*

Deus vult a nobis ea peti bona, quæ nobis ab æterno dare decrevit.

Quidquid certiſſimum eſt, æternoque Dei decreto conſtitutum, ſecundum ordinem, quem ille in gratia conſtituit, non minus enixe in Eccleſia flagitatur, quemadmodum Jeſus Chriſtus ipſe a Patre ſuam petiit reſurrectionem, ſui corporis gloriam, & reliqua omnia, quæ certiſſime eventura eſſe cognoverat. Decretum hoc enim, & ordo Dei continet, ac determinat ſimul & finem, & media, ex quibus oratio magis generale eſt magiſque inevitabile; quippe eſt confeſſio ſubmiſſionis, egeſtatis, & indignitatis creaturæ, quæ hoc pacto fatetur, Deum omnium bonorum fontem eſſe, & plenitudinem, abſolutum donorum ſuorum dominum, ſupremumque gratiarum auctorem, quos cuicumque voluerit, diſtribuit. *Liber, cui titulus Idea ſacerdotii, & ſacrificii Jeſu Chriſti.*

Peccator ſine oratione ex peccato nequit emergere.

Ad omnem orationis virtutem intelligendam conſiderandum eſt, peccatorem ſine illius ope ex peccatorum ſuorum cœno emergere nequaquam poſſe. Hinc Deus illi ſemper orandi gratiam relinquit, tamquam adminiculum, quo ex profundiſſima iniquitatis abyſſo egredi valeat. Idcirco mundi Salvator ægris, qui undequaque ad ipſum vehebantur, niſi oratus bonam valetudinem non concedebat. Jeſu fili David miſerere noſtri, leproſi clamabant. Domine, fac, ut videam, elata voce cœcus in via Jerichuntis dicebat. Alii curationem inſtantibus invocationibus ab eo petebant, quas exprimebant verbis: alii hanc gemitibus cum magna confidentia conjunctis exorabant; ſed nemo niſi per orationem voti ſui compos effectus eſt. Hæc autem diverſa morborum genera, quibus Jeſu Chriſtus medebatur, erant figura diverſarum ſpecierum peccati, quas ipſe dimittit: quorum ſpiritualem curationem non ſecus, ac corporalem illis tantum concedit, qui ſollicitationibus, enixiſque precibus illam obtinere merentur. *Venite ad me*, inquit ille Matth. 11. vos *qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Verum quomodonam vis, Domine, illos venire ad te, cum enim alligati ſint vinculis iniquitatis, & quodammodo ſcelerum ſuorum gravi pondere oppreſſi, ne pedem quidem proferre poſſunt, ut accedant ad te? Heu! Si per orationem acceſſerint; oratio hæc ad cœlos uſque penetrat, & ab ima peccatorum abyſſo aſcendit uſque ad fontem gratiarum, & miſericordiarum, quas affluenter in peccatoris caput facit emanare. *Abbas du Jarry ſermone pro die Cinerum.*

Oratio præſertim eſt neceſſaria peccatori initio converſionis ſuæ.

Oratio peccatori numquam magis neceſſaria eſt, quam ſuæ converſionis initio, cum concupiſcentia irritata, ac præteritis flagitiis magis incenſa, pravorum habituum acceſſione facta animam trahit, quaſi duplici pondere, in malum tanta pernicitate, ut nonniſi tenue momentum illi in bonum ſuperſit. Valido igitur eget auxilio, ne cedat: auxilium hoc eſt gratia fortis, & potens, quæ homini adhuc infirmo fert opem, ut ſuo munere perfungatur: hæ autem gratiæ victrices nonniſi per orationem poſſunt comparari. Quandonam Jeſus Chriſtus præcipit ventis, ut quieſcant, ac proceloſo pelago, ut ſuos fluctus cohibeat? Tunc cum Apoſtoli jamjam naufragium facturi illum e ſomno magnis clamoribus excitant, eique dicunt: *Domine, ſalva nos, perimus.* Matth. 8. Ut intelligamus, Deum nequaquam mulcere fluctus, atque tumultum affectuum in animabus recens converſis inſurgentium, niſi cum miſerorum clamoribus, vocibuſque interioribus animæ vi magna emiſſis urgetur: *Voce mea ad Dominum clamavi*, inquit Propheta, *& exaudivit me de monte ſancto ſuo. Idem.*

Fidenter orandus eſt Deus.

Cum Deus æque ſit bonus, ac potens, orandus eſt non ſine perfecta in miſericordia ejus confidentia. Parum eſt, poſſe miſero opem ferre; voluntas etiam requiritur. Plurimos miſeret, ubi miſeros intuentur; ſed cum pares minime ſint opem ferendo, inutilis eorum eſt miſeratio. Alii poteſtatem quidem habent, voluntatem vero non item. Unus eſt Deus, cujus miſericordia par eſt potentiæ, qui velit ſimul, & valeat nos ex egeſtate eruere. Vult quidem; ſed integram in nobis confidentiam requirit. Preſto eſt, ut omnia concedat; ſed concedit illis tantum, qui optimis diſpoſitionibus ſupplices ad illum accedunt: *Optime ſermonum pro feria quinta poſt primam Quadrageſimæ Dominicam.*

SUPPLEMENTUM.

Fidenter orandum eſt.

Isaias Propheta, Dei nomine, Ezechiæ Regi nuntiaverat, horam mortis ejus adventare, ac ipſum huic ſeſe debere diſponere. Rex ille terribili nuntio perterritus fidenter confugit ad Deum; eique humiliter exhibet, ſe fideliter legem illius obſervaſſe, ſe adverſam fortunam ſine ullo exilii ſui tædio ſuſtinuiſſe, quin contra Providentiæ decreta muſſitaret. Deus remiſit ad illum Prophetam eumdem, ut eum certiorem faceret, vitæ illius annos quindecim iri adjectum. Fidenter orate; quamquam de vobis actum jam videatur, non omnis ſpes auferetur; ſed opus eſt, ut Deo dicere poſſitis cum Ezechia Rege, vos extitiſſe fideles divinarum legum obſervatores, & Religionis placita eſſe vitæ veſtræ regulam. Non eſt, quod vos pudeat coram mortalibus Chriſtianos videri, atque opus eſt, ne rationes humanæ, pravique ſermones, vos unquam a recto virtutis tramite deterreant. *Ex libro cui titulus: Sententiæ cum exemplis ex Hiſtoria Sacra depromptis &c.*

Neceſſitas orandi ad obtinendâ gratiam.

Sine gratia nulla ſalus eſt; ergo ſine oratione ſalus nulla: quandoquidem prima gratia excepta, quippe quæ principium eſt orationis ipſius, ab oratione minime pendet; de fide eſt, orationem eſſe medium, & efficax, & univerſale, per quod vult Deus a nobis quaſcumque gratias obtineri; & aliæ omnes gratiæ in ordine Providentiæ, & Prædeſtinationis, eſſentialiter adhærent Orationi. Petite, & accipietis. Hanc Jeſus Chriſtus normam vobis præſcripſit, quæ cum ſit coarctata ad hoc perfectum donum, quod deſurſum eſt; numquam gratia ſalutis defuit. Hic divinus ille rivus eſt, per quem omnia cœleſtia bona communicanda ſunt nobis: *Petite, & accipietis.* Hoc eſt oraculum æternæ vitæ, de quo dubitare non licet: unde S. Thomas concludit: nemini jus eſſe ſperandi in Deo, niſi eo quod orat, & ratio, quam Doctor Angelicus adfert, hæc eſt, Deum, qui nihil ex jure nobis dedit, & qui nobis debere nequaquam poteſt niſi per miſericordiam, & ad ſummum per fidelitatem, ſe nobis per hos juſtitiæ, & fidelitatis titulos devinxiſſe ſub hac conditione orationis; poteſt igitur non ſolum citra injuſtitiam, verum etiam quin ſuæ officiat fidelitati, atque clementiæ, poteſt nobis ſuas gratias non concedere, illi preces, & vota noſtra minime nuncupantibus. Addo præterea, juxta communem Providentiam, ipſum hoc facere debere; gratiæ enim æque pretioſa, ac ſuæ, hæc quippe S. Chryſoſtomi animadverſio eſt, gratiæ tanti momenti, quanti illæ ſunt, quæ nos ad ſalutem perducunt, merentur ſaltem, ut aliquo labore nobis ſtet illas petere, & feſtinanter, ferventerque flagitare. *Pater Bourdalove in Dominicali.*

Joann. 16.

Licet Deus noſtras norit neceſſitates ſine preces ſuadeat orari vult tamen.

At enim, etiam ſine precibus noſtris novit Deus ſpirituales neceſſitates noſtras, & quin has illi aperire ſtudeamus, illis conſulere poteſt. Verum eſt, reſpondebat olim S. Hieronymus Vigilantio, qui ſenſu ſuo præoccupatus, hoc prætextu evertebat Religionis fundamentum, hinc arguere volens orationis inutilitatem: Verum eſt: Deus per ſemet cognoſcit noſtras neceſſitates, ſed quamvis per ſeipſum illas agnoſcat, iiſque conſulere poſſit ſine nobis, ad id a nobis cogi vult, ac impelli; videlicet excitari vult precibus noſtris, ad opem nobis, quam præparavit, elargiendam; vult preces noſtras eas eſſe rotas, quibus miſericordia ſua moveatur. Quippe ipſe eſt, addebat Laudatus Doctor, bonorum ſuorum Dominus, & quatenus Dominus ſuum eſt, eadem largiri, ac de illis diſponere quibuſcumque voluerit conditionibus. At iterum dico, placuit illi, ut ex his conditionibus una, & præcipua eſſet Oratio, & hæc pars eſſet pactionis illius, quam nobiſcum fecit, tamquam Deus noſter, dicens nobis: *Petite, & accipietis*: illi placuit noſtras neceſſitate ad majorem ſui nominis gloriam traducens, efficere, ut ad illius honorem aliquid conferremus, ut ſacro hoc vinculo adſtricti cultui ſuo adhæremus, & jugiter contineremur in exercitatione aſſidua illius obedientiæ, quam illi debemus: illi placuit, ut omnia verbo complectar, orari, & exorari, atque hoc veluti pretio gratiæ ſuæ dona, perenneſque divinæ ſuæ charitatis effectus proponere. Ita loquebatur S. Hieronymus refellens hæreſim Academitarum orationem, tamquam ſupervacuam explodentium, quam hæreſim renovare auſus eſt Jovinianus, & cujus acerrimus fautor tunc temporis erat Vigilantius. *Idem.*

Deplorabilis ſtatus hominis, qui orationem abjecit.

Quocumque in ſtatu me ſuppono, ſi orare ceſſo, nihil mihi reliquum eſt, in quo confidere poſſim, & non alio pacto redimere, vel reparare poſſum eam, quam patitur jacturam, me privans orationis uſu. Mihi non oranti omnes gratiæ fontes exhauriuntur; & anima mea, Domine, eſt ſicut terra ſine aqua tibi, quam nulli Cœleſtes imbres irrigant. Non oranti nulla mihi humilitas eſt, fides nulla, patientia nulla; nam quin curem ſanctas haſce virtutes exercere, ne petere quidem illas abs te contendo. Non orans amplius ſino me trahi meis cupiditatibus, inconditiſque deſideriis, quia tantum abeſt, ut illis adverſer, ut ne ad te quidem Domine confugiam, qui ſolus ea potes coercere. Me non orante tota chriſtianæ vitæ harmonia in me perturbata eſt; quorſum? Oratio enim, quæ illius erat anima, ceſſat; mihique nullius eſt utilitatis. Huc enim tandem tendit devotionis defectus, quem animadverto; ac lacrymis proſequor in pluribus ignavis Fidelibus. *Pater Bourdalove in Dominicali.*

Attente orandum eſt.

Audit Deus, S. Cyprianus ait, vocem cordis noſtri, non oris: vigilandum eſt, addit, & ex toto corde orationi vacandum: omne humanum, profanumque objectum ab oculis mentis noſtræ evaneſcat; ſpiritus hic unice vacet iis, quæ petit. Cum quibus nobis attente loquendum eſt, niſi cum Deo? Poteſtne hic aliquid levius a vobis expetere, quam ſit velle, ut id, quod dicitis illi, cogitetis? Quomodonam ſperare audetis fore ut vos audire dignetur, ſi voſmetipſos minime auditis? Vultis illum meminiſſe veſtri, qui orantes, veſtrum obliviſcimini. Tantum abeſt, quod Deum flectatis, ut immo præſentem hanc majeſtatem lædatis per veſtram negligentia mea in actione, quæ ſola poteſt vobis Cœlum propitium efficere. *De Fenelon Epiſcopus Cameracenſis in delectis Sermonibus.*

Orandum cum fide.

Fidem petendum eſt. Hæc fides, S. Jacobus ait, ita firma eſſe debet, ut non hæſitet; qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctibus maris, qui ſemper ad ventorum arbitrium aguntur. Qui igitur, pergit idem, ſine confidentia orat, ne ſperet, ſe exoraturum: & ſane quid aptius eſt ad Dei cor permovendum pro nobis, quam confidentia in ipſius miſericordia? Poteſtne repellere eos, qui omnem theſaurum ſuum in illo repoſuerunt, & qui nolunt quidpiam niſi ab illius bonitate conſequi? Cum fidenter oramus Dominum, S. Cyprianus ait, ille ipſe nobis hunc orationis ſpiritum tradit. Opus eſt ergo, ut Pater agnoſcat verba Filii ſui, cum illa pronuntiamus, & ille, qui in cordium noſtrorum penetralibus habitat, ipſe omnes preces noſtras efformet, ac dirigat. *Idem.*

Orandum cum puritate intentionis.

In orationibus, S. Bernardus ait, vana nequaquam miſcenda ſunt veris, non perituris æterna, neque terrena hæc iis, quæ ad noſtram ſalutem pertinent. Bene orare eſt, S. Auguſtinus ait, nil aliud, quam Deum ſolum quærere; Orare male eſt, per illud alia inquirere bona. Ne coneris, inquit, efficere Deum amoris tui proprii, tuæque ambitionis patronum, ſed optimorum deſideriorum tuorum executorem. Confugis ad Deum, ut tuis ſatisfaciat cupiditatibus, & ſæpe, ut illis te ſubtrahas crucibus, quibus te indigere cognoſcit. Cum te amat, dicit Pater idem, renuit tibi ea, quæ per amorem proprium tuum ab illo petis; iratus vero ea concedit, quæ tibi impetranti futura ſunt detrimento. Ne afferas ergo ad aras vota minus decentia, deſideria incompoſita, preces importunas. Nil pete, quod indignum eo ſit, a quo petis. Cave ne appetas bona fallacia, & noxia; pete ros cœli, non terræ pinguedinem. Effunde cor tuum coram Domino, ut Spiritus Sanctus illius in te gemitibus ineffabilibus vera petat bona, quæ ipſe cupis. *Idem.*

Orandum eſt ut noſtra obire poſſimus officia. Alioquin oratio noſtra illuſio eſt, atque ſcandalum.

Oremus, Fratres, ſed eo ſemper noſtra ſpectet oratio, ut noſtris rite perfungamur officiis; ne ſublimes, abſtractaſque fundamus preces, quæ ad virtutum praxim minime referantur. Oremus non ut in verbis magis illuminati, ac ſpirituales ſimus, ſed ut evadamus humiliores, dociliores, patientiores, moderatiores, mundiores, & in omni vita perfectiores. Alioquin noſtra petendi aſſiduitas, quin ſit frugifera, & efficax erit plena quidem illuſionis pro nobis, ſcandali vero pro proximo. Illuſionis inquam pro nobis; cujus quidem rei quamplurima nobis exempla ſuppetunt? Quot occurrunt, quorum oratio alit ipſorum ſuperbiam, & in errorem imaginationem ipſorum abducit. Scandali vero erga proximum; nihil enim majus ſcandalum afferre poteſt, quam videre hominem ſemper orantem, & numquam ſe corrigentem, qui poſt effuſas preces non minus levis, vanus, inquietus, moroſus, cupidus eſt, quam ante. *Idem.*

In quo ſita ſit orationis neceſſitas.

Quamvis Deus omnes neceſſitates noſtras cognoſcat, & per ſe ultro iiſdem ferat opem, hanc tamen ſibi veluti legem imponit nihil concedendi niſi exoretur, ſive ille orationem tamquam cultus & honoribus ſpeciem ſibi a creatis debitam, & quam non exigere non poteſt, intueatur; ſeu velit, ut S. Auguſtinus ait, excitare, & fovere in nobis, bonorum æternorum cupiditatem, vel ut D. Thomas loquitur, docere velit, nos, cum nihil ſine ipſo valeamus, uni illi acceptam referre debere omnium gloriam; ſeu, ut idem Angelicus Doctor alibi ait, hæc illa ſit ratio, quam nobis conſtituit, ut noſmet in humilitate, ac officio contineret. Quam enim ſuperbus eſſet & audax homo, ſi illi omnia fluerent e ſententia, ſi nihil petere, vel aliunde conquirere teneretur? Seu denique, ut Sanctus Chryſoſtomus inquit, voluerit hoc pacto Deus nos ſibi quodammodo devincire, & ut ſæpe oblectationem perciperet cum nobis colloquendi, nobis hanc injecerit neceſſitatem ad ipſum confugiendi. Felix neceſſitas, quæ nobis conſolationem debet efficere, quandoquidem efficit omnem Dei oblectationem, noſque cogit, ut ſingulis diebus hauriamus de fonte omnium benedictionum. Verum, quæcumque ſint cauſæ, propter quas orari voluit Deus, ſibique legem impoſuit nihil niſi ubi oratus eſſet, permittendi: liquet ſe orari velle, & hac propoſita conditione ea nobis, quorum indigemus, concedere. Nil præterea requiritur ad orationis neceſſitatem conſtituendam; quamobrem Sanctus Auguſtinus dixit, orationem non minus ad ſalutem neceſſariam eſſe, quam gratiam. Orationis neceſſitas, ait ille, oſtendit gratiæ neceſſitatem, ſed neceſſitas gratiæ pariter orationis neceſſitatem oſtendit. *Ex Sermone Manuſcripto.*

Triplex vitium in oratione vitandum.

Inter orantes, non deſunt, qui credant, omnem virtutem & devotionem hominis Chriſtiani in oratione eſſe poſitam; quæ quidem ſimplicitas eſt, & ignorantia. Sunt, qui prolixas palam effundunt preces, ut videantur & tamquam viri boni habeantur; hæc hypocriſis, & vanitas eſt. Sunt qui ad Deum confugientes, ut bona dumtaxat temporalia conſequantur, ſe rite orare arbitrantur; cum hæc non aliud ſit, quam avaritia, & amor mundi. Dei Filius nobis triplex hoc vitium connotare voluit in oratione, cum dixit, non eos omnes qui dicunt, Domine, Domine, ingreſſuros eſſe in Regnum Cœlorum, inſcitiam, ac ſimplicitatem primorum nobis aperuit. Cum locutus de duobus, qui in Templum erant ingreſſi, alter quidem Publicanus, alter vero Phariſæus hunc nobis exhibet primam ſedem occupantem, aſſertaſque virtutes ſuas venditantem, alterius generis hypocriſim, ac vanitatem nobis ob oculos poſuit. Denique ubi matri Filiorum Zebedæi dixit neſcire ipſam, quid ſibi vellet petens, ut ad ipſius nutum alter quidem a dextris, alter vero ſiniſtris ejus ſederet, nobis eximium adſtruxit conceptum orationis cupidæ eorum quod in tertiam claſſem rejicimus. *Abbas Boileau in Delectis ejuſdem ſententiis.*

Semper orari poteſt & quomodo.

Magnum conſolationis argumentum eſt Chriſtiano, poſſe, qualibet hora, & quolibet in ſtatu preces effundere. Oratio nequaquam poſita eſt in prolatione nonnullorum verborum, aut in Meditatione aliquorum myſteriorum, neque in petitione aliquarum gratiarum, neque in imaginationis ſenſibilitate, vel in fidelitate memoriæ. Nulli inhæret actioni; omne opus bonum oratio eſt; Nulli affixa loco eſt; deferimus in nobiſmetipſis Templum Spiritus Sancti intra nos, & ipſe orat pro nobis. Non adnexa eſt ſenſibili voci; ſecretiſſimos etiam gemitus audit Deus. Obedire illi, ſervire illi, illius facere voluntatem, ſtatus ſui munera obire, hoc orare eſt. Miles æque orare poteſt in caſtris, ac Presbyter in Eccleſia; Magiſtratus in tribunali æque ac Reus in carcere: vir publicam gerens perſonam in magno populi cœtu, æque ac ſolitarius in eremo; cumque Deus ſemper hominem ſuſtineat, homo ſemper Deum poteſt orare. Nulla eſt actio, quæ non ceſſet, ſed oratio numquam ceſſare debet. Licet a Pſalmodia ceſſes, non ideo tamen ceſſat oratio. Recedis ab ara, ut ſuggeſtum aſcendas, oras æque panem verbi, ac panem Euchariſticum diſtribuens. *Idem Ibidem.*

Multifariam orari poteſt.

En in quo infinita Dei bonitas mihi videtur admirabilis; velle, nihil in Chriſtiano eſſe, quod orationis locum obtinere non poſſit. In urbanis, officioſiſque modis cum proximo orat; hos illi ſuggerit charitas. In bonis, quæ tribuit conſiliis, orat; Charitas illa regit, In ſtudiis orat; quærit ſeipſum ſanctificare, & alios erudire. In laboribus ſuis orat, hos offert Domino, & hoc pacto eum laudat. Dicamne? In ſolatiis etiam orat; ſunt innocua. In ipſi etiam quæſtubus ſuis orat; dolor eos exprimit, & ſupprimit reſignatio. Admiramini Chananæam mulierem in dolore ſuo clamantem, & orantem. *Abbas Boileau in Quadrageſima.*

Petendum eſt cum fervore. Philipp. 4.

Vult Apoſtolus ea, quæ a Deo petimus, nos cum orationis fervore deprecari; *In omni oratione*; vult, nos enixius flagitare, & urgere Deum, ut voti nos damnet; *in obſecratione*, vult orationi comitem gratiarum actionem adeſſe: *cum gratiarum actione*. Petere aliquid a Deo in fervore orationis, *in omni oratione*; eſt mentem attollere ad Deum, & habere omnes animæ facultates in illo occupatas, quin attentio ipſius ſit in alia objecta diviſa; eſt illum videre in ſpiritu oculis fidei, noſtramque ſubjicere imaginationem, ut pro modulo ſuo illum ſibi repræſentet. Atenim, quis poteſt oculis immenſa ſpatia pervadere; & illum in gloriæ ſuæ Throno ſedentem contemplari? Ut illum invenias, opus non eſt, ut extra temetipſum egrediaris. Deus intra teipſum veriſſime eſt per præſentiam, atque potentiam ſuam. *Medius veſtrum ſtetit*. Per præſentiam ſuam teſtis eſt omnium, quæ facis, novit conſilia tua, obſervat veſtigia tua, penetrat ea, quæ ipſi tibi ſunt abſcondita. Potentiæ illius minimos etiam motus tuos debes. Non eſt igitur, cur procul illum inquiras. Si dicitur, tibi aſcendendum eſſe, moneris ad tempus oblivioni tradere creata omnia; tuiſque cogitationibus illud argumentum tribuere nobiliſſimum, & ampliſſimum circa quod valeant verſari. *Elevare, elevare: conſurge Jeruſalem*. Si imaginatio, atque intellectus in uno Deo fuerint occupati; in petitionibus ſuis neque perturbata, neque interpellata erit voluntas. Preces hoc modo elicitæ erunt veluti clamores, quos coram Domino Propheta effundebat, & in aures illius penetrabant. *Clamor meus in conſpectu ejus introivit in aures ejus. P. Segneri in Meditationibus.*

Joann. 1. *Iſaiæ 51.*

Dominus permittit, ut omni tempore eũ precemur.

Heu! Auditores, in vitæ hujus caſibus hoc unum privilegium, quo preces effundere ultro citroque, & audiri poſſumus, quo neceſſitates noſtras illis exhibere poſſumus, quorum penes eſt fortunarum noſtrarum arbitrium; hæc una facultas quanti a nobis æſtimatur. Homo calamitoſus, & abſens, quo pretio hanc ſibi gratiam compararet? Nonne ſe ab omni purgatum ſcelere exiſtimaret, atque in priſtinum ſplendorem redactum, ſi ipſi liceret ſeſe ad Principis ſui pedes projicere, eique omnes cordis ſui anguſtias pandere? In hoc ſtatu calamitatis ubi omnia clauſa inveniuntur, obſtructi aditus omnes, amici omnes ſine motu, & ſine voce, & ne unus quidem adeſt, qui velit ſolum partes tueri tuas, tuumque nomen proferre. Longe quidem alia ratione agis nobiſcum Domine; non permittis ſolum, ut oremus; inimici tui, quin hoc aditu prohibeantur, explicite etiam invitantur. Cum orari vis, id vis, ut des; cum tarde das, id agis, ut magis magiſque perſeverantiam inflammes, & cum parum tribuis, id fit, ut ad plura petenda animus excitetur. Nihilo ſecius hæc orationis gratia a nobis pro nihilo habetur. Noſmet derelictos credimus, cum adnectit Deus ſalutem noſtram huic ſpeciei ſubſidii, quod ipſi reſpiceremus tamquam certiſſimum fortunæ, atque ambitionis ſarciendæ perfugium. Fruſtra aſſidui in hominibus ſollicitandis, ſæpe ſurdi, atque noſtris ſollicitationibus inflexibiles; vix experiri volumus coram Deo quid ſit oratio. *P. de la Rue in Adventu.*

Vis orationis.

Oratio adeo potens eſt, ut divinas tantum ſufficiat Scripturas conſulere, ut non ſine magna cum admiratione videamus; hac inferorum januas infringi; hac ferarum belluarum vim ſuperari; hac ventos, tempeſtateſque ſedari, elementorum furorem conteri, Cœlum claudi, & aperiri; Solem medio in curſu detineri; mortuos, licet jam tabeſcentes erui e ſepulchris, utque omnia illius unico verbo concludam prodigia, hanc humili, demiſſaque feſtinatione de invicto Deo victoriam referre, & cum Omnipotentis brachium ſublatum jam eſt ad terram improbam percutiendam, illud vincire. *Vincit invincibilem, & ligat omnipotentem.* Sed ut adeo miros pariat effectus, duas in illa S. Jacobus Apoſtolus conditiones requirit; Primum quidem ut a juſto fiat, vel ab eo, qui juſtitiæ habitum poſſidet, vel qui ad eamdem per pœnitentiam contendit. Secundo, ut ſit aſſidua, perſeverans, cum omni fervidi cordis contentione peracta: *Deprecatio juſti aſſidua. Abbas Anonymus.*

Jacob 5.

Attente orandum eſt.

Cum orare volueris, inquit Salvator in Evangelio, recede in penetrale domus tuæ, & oſtio clauſo, clam ora Patrem tuum. Penetrale hoc, quo nobis recedendum eſt, S. Auguſtinus ait, cor noſtrum eſt, ubi nos videt Deus, ubi nos conſiderat, & audit. Ibi noſmet concludere debemus, ne inania phantaſmata, externarumque rerum cogitationes ingrediantur per ſenſus corporis noſtri, & ne nos perturbent; & ut oratio noſtra ſit omnino Spiritualis, ac noſtrum cum Deo colloquium fiat in imo corde noſtro: *Quæ ſunt cubicula? niſi corda noſtra? Sermo Manuſcriptus.*

Auguſt.

Monitum ad diſtractiones pertinent.

Cum neceſſaria in orationibus attentio diſtractionibus tantum perturbetur, en quid de illis ſciendum eſt. Si diſtractiones, quæ nos perturbant, voluntariæ non ſunt, ſi nobis diſplicent, ſi quidquid in nobis eſt, conamur, ut eas avertamus, tantum abeſt, quod noſtris precibus obſint, ut immo eas coram Deo acceptiores, gratioreſque valeant efficere per patientiam, quam exercent, ac dolorem, quem gignunt, juxta præclarum illud Sancti Auguſtini dictum: *ſi dolemus, oramus*. E contra vero ſi voluntariæ ſunt, efficiunt ut oratio ipſa fiat nobis in peccatum, juxta illud Prophetæ Regis Oraculum: *Oratio ejus fiat in peccatum*. Et ſane inficias ire poteſt nemo, quominus illæ plurimum conferant ad nos coram Deo ſontes efficiendos: ſemper enim argumento ſunt, & irreverentiæ, qua divinam majeſtatem proſequimur, vel modici illius diſcriminis, in quo ea habemus, quæ petimus. Et profecto S. Cyprianus ait, non videmur magnopere optare, ut audiamur a Domino, quandoquidem ne nos quidem noſmetipſos audimus. *Quomodo a Deo te audiri poſtulas; qui teipſum non audis?* Tunc repetenda eſt altius ipſa mali origo, ut congruam illi afferamus medicinam. At quod plerumque noſtras parit diſtractiones eſt, vel immortificata cupiditas aliqua, aut amor aliquis vel inordinatus, vel nimius, licet in ſe omni culpa vacet, vel ſenſuum deerratio, vel negotiorum impedimenta; quid tunc nobis faciendum eſt? Audi. Teneris cupiditates tuas mortificare, vincula quævis infringere, tete colligere, & impedimenta, quantum fieri poteſt, abjicere earum rerum omnium, quæ tibi oranti negotium faceſſunt; poſt quæ ſi adhuc diſtraheris coram Deo potes conſolari. Dolor, quo inde affecti fuimus, & quo afficimur labores noſtros in irritum abire videntes diſtractiones eaſdem in preces convertit: *Si dolemus, oramus*, & tunc oratio noſtra neque grata minus eſt in oculis Dei, neque minus efficax. *Idem.*

S. Auguſt. *Pſ. 108.* *S. Cyprian.*

Orandum eſt in nomine Jeſu Chriſti.

Sicut nonniſi per Jeſum Chriſtum accepti ſumus Deo, certum eſt, in Jeſu Chriſti nomine omnes preces noſtras eſſe fundendas, qua de re nos idem Jeſus Chriſtus admonuit: ſi vultis ait, vobis a Patre meo concedi ea, quæ petitis, petite in nomine meo; cumque Apoſtoli dolebant, quod preces ſuæ minime audirentur, non aliam addidit cauſam niſi quod in nomine non ſuo oraverunt. Ita Eccleſia preces omnes abſolvit, quaſcumque Deo offert, teſtatura, ſe in Jeſu Chriſti nomine illas offerre: cumque etiam ad Sanctorum patrocinia confugit, formulam non mutat, palam indicatura, ſe ſemper in Chriſti nomine petere & in Sanctorum præſidio eatenus confidere, quatenus hi induti ſunt virtute, ac vi Nominis Jeſu Chriſti. *Id.*

Orandum cum humilitate.

Preces noſtræ offerendæ ſunt cum humilitate; ſi enim volumus Deum ærumnarum noſtrarum miſereri, ipſos primum noſtri debet miſereri. Noſmet, Sanctus Auguſtinus ait, cogitare debemus, tamquam pauperes præ foribus Magni Patris familias ſtantes eleemoſynam impetraturi. Chananæa mulier nonniſi ex micis, quæ de menſa Domini decidebant, ſaturari cupiebat: Hemorrhoiſſa nonniſi extremam illius pallii fimbriam audebat attingere; Publicanus inceſſanter ſibi pectus tundebat, & tamquam peccatorem ſpectabat; atque per hanc humilitatem votorum ſummam conſecuti ſunt, & e contra ſuperba Phariſæi petitio illum effecit nocentiorem. *Sermo Manuſcriptus.*

Oratio divinæ voluntati eſt ſubjicienda.

Orandum quoque eſt maxima cum divino beneplacito ſubmiſſione; hoc eſt, nihil a Deo petendum eſt, niſi talis ejus voluntas extiterit; licet æquiſſimæ, & ſanctiſſimæ nobis videantur petitiones noſtræ. Fieri enim poſſet, Sanctus Auguſtinus ait, ut vel nondum opportunum ſit eas nobis permittere, vel petita etiam minime conveniant propter cauſas Deo uti exploratas, quod nobis explorandum non eſt. Petebat S. Paulus, ut ab Angelo Satanæ liberaretur, ac reſponſum accepit, non referre, illum inde liberari. Chananæa dixit tantum Jeſu Chriſto, filiam ſuam a Dæmone vexari; hæc optima eſt orandi ratio. Non vota noſtra Dei voluntatem, ſed Dei voluntas vota noſtra moderari debet. Neque ideo credideris, Deo vota ipſa a nobis non eſſe exhibenda, ſed exhibenda ſunt cum omnimoda ſanctæ illius voluntati reſignatione; & ratio ipſa abſolvatur illis Jeſu Chriſti verbis; non mea Domine voluntas fiat; ſed tua. *Idem.*

Fidenter orandum. Jacobi 1.

Vult Sanctus Jacobus non ita confidere, ne ambigamus, utrum voti ſimus damnandi. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Hæc autem confidentia innititur primum quidem promiſſionibus Dei; ſpopondit enim, ſe votis noſtris ſubſcripturum, ubi invocaverimus illum; deinde, quod ipſe Spiritus Sanctus pro nobis tanto zelo petit, ut illius orationes gemitus inenarrabiles appellentur; tertio, quod Jeſus Chriſtus pro nobis apud Patrem ſuum munere fungitur Pontificis; videlicet jugiter ita pro nobis intercedit, & flagitat, ut aliquando juxta Sancti Joannis dictum illum *advocatum* habeamus apud Patrem, & Sanctus Paulus animadvertit adhuc, ipſum ut facilius noſtri miſereretur, voluiſſe omnes infirmitates noſtras in ſe, peccato excepto, experiri, omnibus ſe ſubjiciendo; quarto innititur denique Dei ipſius adhortationibus, qui nos ita fidenter orare docuit, ut certi quodammodo ſimus, nos quodcumque petierimus, exoraturos. Unde Sanctus Paulus infert, nobis plena confidentia adeundum eſſe ad Deum, & per hujus ipſius confidentiæ merita impetraturos. Et profecto quænam eſſe non debet confidentia noſtra? Ipſi quidem ex nobis nihil ſumus; ſed cum coram Deo ſtatuimur per manus Filii, ac Spiritus Sancti, numquid poſſumus rejici? Deus nihil nobis debet: hoc quoque verum eſt, ſed quandoquidem pollicitus eſt, ac recepit, ſe nobis petentibus omnia daturum, quid nobis ſperandum non eſt? *Sermo Manuſcriptus.*

Orandum cũ perſeverãtia.

Cum perſeverantia petendum eſt; hoc ſignificare nobis voluit Dominus per parabolam Judicis, qui cum neque Deum, neque homines vereretur, tamen mulierculæ cujuſdam importunitati conceſſit, quod eidem negare ſtatuerat; id enim ſignificat velle Deum nonnumquam per importunitatem vim ſibi fieri; & nonniſi petendo obtineri. Cæterum cum Deum minime tædeat ad noſtri cordis oſtium pulſare, cur tædeat nos ad cordis ejuſdem pulſare? Ille non indiget noſtrum, nos vero illius quotidie indigemus. Momentum quo illum orare ceſſabimus illud eſſe poteſt, quo nos ſe exauditurum eſſe decreverat, ſi ab orando non ceſſaviſſemus; & quod petimus, tanti momenti eſt, ut non ſemel petendum ſit. Ne igitur petere fatigemur, quandoquidem Deus nos audire non fatigatur. *Idem.*

Ejuſdẽ patris Filii viciſſim alii pro aliis orare debemus.

Cum pro aliis petimus, majorem Deo amorem teſtamur, quam cum pro nobis tantum petimus, id enim eſt cupere, quod a pluribus diligatur. Id etiam eſt magis colere, eſt enim indigitare quanti faciamus non illum ſolum, ſed etiam illos, qui inter filios ipſius numerantur. Eſt etiam illi obedire, nobis enim palam fratrum noſtrorum negotia commendavit. Denique id eſt perfectiſſime Cœleſtem Patrem imitari, oſtendentes amorem ſimilem ſuo, quo beneficia ſua ſuper omnes effundit. Eſtote imitatores Dei, Apoſtolus inquit, tamquam filios dilectos, & in ſpiritu dilectionis ambulate. *P. Segneri de Meditat.*

Militantis Eccleſiæ ſtatus, ſtatus eſt cõmercii cum Eccleſia triumphante.

Chriſtiana, quam profitemur, Religio non aliud quidem eſt, quam Dei cum hominibus commercium per gratias illius, & beneficia, & hominum cum Deo per horum ſervitutem, & obſequia. Quemadmodum adeſt propria quædam propenſio in Deo communicandi divitias bonitatis ſuæ paupertati hominum; ita in hominibus adeſt impreſſio quædam apta ad provocanda, & promerenda beneficia, & miſericordias Dei per invocationes, & preces. Deus abyſſus eſt bonorum, ego abyſſus ſum miſeriarum; miſeriarum abyſſus invocat abyſſum bonorum: *Abyſſus abyſſum invocat*, & hæc bonorum abyſſus ſe ſe in hanc miſeriarum abyſſum effundit. Ita oratio eſt duplicis abyſſi compoſitio, alterius quidem in me quærente, ut accipiam, alterius vero in Deo quærente, ut largiatur. Neceſſitas noſtra habet inane quod replendum eſt; Dei vero miſericordia plenitudinem habet ſupereffluentem, quæ cupit ſe effundere. Ita oratio utramque complectitur, & eſt in ſe actus rationis, vel cogitatione ſolum conceptus, vel extrinſecus etiam explicitus verbo, quem ipſi ad ſupremam infinitamque dirigimus majeſtatem, quæ plenitudine, & copia ſua noſtram replere poteſt neceſſitatem, ac indigentiam. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Sicut in via Dei gratia indigemus; ad hanc obtinendum potentiſſima ratio eſt ipſa oratio.

Duplicem invenio ſpeciem neceſſitatis, propter quam oratione indigemus. Prior medii neceſſitas vocatur, eſtque potiſſimum inter ea media, quæ nobis reliquit Deus, ad impetranda ipſius beneficia, quorum maximum eſt noſtra converſio, Oratio igitur eſt unum ex maximis, aptiſſimiſque mediis ad illa obtinenda; qui enim orationem negligit, ſuam negligit ſalutem, & periclitatur, ut pereat; medium enim Dei mandata ſervandi, ſine quo magnas tentationes ſuperare non poſſumus, gratia eſt; & gratiæ obtinendæ ratio, oratio eſt. Negligentes igitur orationem, ſalutem noſtram negligimus, & periculum in æternum pereundi ſubimus. Præterea dicere poſſumus eum, qui orationem deſerit, ſalutem ſuam deſerere, vel penitus de eadem deſperare; re enim vera deſperare eſt curam abjicere obtinendi medium illud, ſine quo nulla ſalus eſt, quæ eſt finalis perſeverantia. Perſeverantia quæ eſt votum noſtrorum, ſpeique objectum, ſed ſimul objectum timoris noſtri. Perſeverantia, quam nullis operibus bonis poſſumus promereri, ſed quam Deus tribuit orationi; & pro qua Sancti toto vitæ ſuæ curriculo oraverunt. Qui vero negligit Orationem, abrenuntiat, ut ita dicam, finali huic perſeverantiæ, ideoque deſerit ſalutem ſuam, & magnam præbet occaſionem de eadem deſperandi. *Idem, & auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De neceſſitate orationis quatenus de præcepto eſt.

Superius verba facimus de orationis neceſſitate, quatenus medii eſt, verum eſt etiam de neceſſitate præcepti; quia legem habemus explicitumque mandatum, quod orare nos jubet. Nihil unquam in Evangelio tamquam ſaluti neceſſarium memoratur; quod nobis ſervandum imponatur. At in Evangelio ſermo eſt de Oratione tamquam ad ſalutem neceſſaria; *Orate, ne intretis in tentationem*, nihil ergo æque neceſſarium eſt ac oratio, ne tentationibus ſuperemur; & ipſe etiam mundi Salvator præcipit nobis, ut ad tentationes ſuperandas ad orationem confugiamus. Igitur hac etiam de cauſa neceſſaria eſt, & ſub gravi orare tenemur, ſtatim ac tentatio, quæ nos ad peccatum ſollicitat, violenta eſt ... S. Petri lapſus, SS. Patres inquiunt, inde ortus eſt, quia ille non paruit Magiſtri ſuo conſilio, qui illum ad orandum hortatus fuerat, ut reſiſteret tentationi, quæ illum erat adoritura. Somnus cauſa fuit, ut orationis oblivIſceretur; defectum orationis ſubtractio gratiæ ſubſecuta eſt, & hæc cauſa fuit lapſus, & calamitas ejus; atque inde pleraque noſtra exiſtunt peccata. *P. Antonius de S. Martino a Porta.*

Matth. 26.

Ut oratio noſtra accepta ſit Deo fieri debet in gratia.

Non poſtrema ex orationis conditionibus ad ea, quæ petimus impetranda hæc eſt, quod fiat in gratia; peccatum quippe vetat, ne exaudiatur a Deo. Quid a Dei Filio Spinis redimito impetrare poteſt anima deliciis affluens? Quid a paupere Deo ille, qui alienis bonis eſt dives? Ita Deus per os Iſaiæ terribiles haſce minas intentat: *Cum extenderitis manus veſtras, non ſuſcipiam vos*. Anima quæ in ſceleribus tuis omnino vis permanere, licet cor tuum ſolveretur in lacrymas, licet dies nocteſque in oratione traduceres, me ſemper dolori tuo immotum invenies; quia cor tuum plenum eſt deſideriis, atque conſiliis, quæ carnem dumtaxat, & ſanguinem rapiunt. *Idem.*

Iſaiæ 1.

Non ſatis eſt eſſe in gratia, ut ores; ſed Perſeverandũ eſt, ut quodammodo ſis importunus.

Deus, ut ita dicam, cogi vult, atque per noſtræ perſeverantiæ importunitatem adigi; quod nobis oſtendit Salvator ſub cujuſdam hominis figura, qui noctu hoſpiti ſupervenienti quem ad comedendum præberet panem, cum ſibi deeſt, accolam ſuum obſecratur ut ſibi tres commodet panes. Primum quidem repellitur. Dormio; abi: Hoccine tempus eſt oſtium pulſandi? Alter vehementius pulſat, elataque voce clamat, hos mihi panes commoda. Omnes domi meæ cubitum ierunt, & in utramque aurem ſternunt; Abi inquam, ac alias redi, quod optas impetraturus. At homo ille adeo tandem finitimum urget, ac ſollicitat, ut hic

hic cubito aſſurgat eidem gratificaturus, Ita eſt, Dei

Luc. 11.

Filius inquit: *Si non dat, eo quod amicus ejus ſit; propter tamen importunitatem ejus ſurget, & dabit illi.* Homo hic qui propter amicitiam non tribuit, tribuit tamen, ut petentis importunitate liberetur. Unde docemur, animis deſpondendum non eſſe, ſi Deus prima vice nos non audierit; ſed preces eſſe iterandas; oportere, non Dei tantum amicum eſſe, hoc eſt, eſſe in illius gratia; ſed etiam per importunitatem urgere illum, ut tandem orationis noſtræ obtineamus effectum. *Pater Antonius de Sancto Martino a Porta.*

Nihil nos ad orationem magis impellit, quam neceſſitates quas patimur.

Optima ad orandum diſpoſitio eſt, ſuam agnoſcere paupertatem. Cum omnia nobis rident, cum omnia fluunt e ſententia, voti compotes ſumus, Domo non egredimur, ubi affluentia, & proſperitas dominantur. Facile alienis caremus ſubſidiis, cum in bonis noſtris omnia floreſcunt. Sed cum omnis hic ſplendor extinguitur, cum nos premit egeſtas, cum noſmet videmus deſertos, atque apud creaturas in odio poſitos, tunc alacriter, fidenterque confugimus ad Deum. Oratio ſemper vivida eſt, cum eſt humilis, & ſemper efficax, cum ex corde contrito, & humiliato procedit. Honores, atque divitiæ illecebras habent, quæ ſæpe fidem ſuſpendunt, & orationem ſemper infirmant. Hanc excitant adverſa, & nihil efficit, ut ad Deum cupidius confugiamus, quam oppoſitiones, ac prælia, quæ nobis a mundo inferuntur. *P. Croiſet in Aſceticis exercitationibus, Tomo 5.*

Deus novit noſtras neceſſitates & nequit concedere ea quæ nobis utilia futura non ſunt.

Cum bona filiis veſtris largimini, nequaquam hoc libidini, vel ſorti committitis. Scitis quod facitis. *Noſtis bona dona dare.* Quantumvis rudis, ac ſtupidus pater aliquis ſit, vulgo tamen ſatis dignoſcit bonum a malo, ut eligat, quod filio ſuo profuturum eſt, & quod obfuturum relinquat. Bruta quoque licet ferociſſima per inſtinctum erga pullos ſuos id præſtant, quod homo erga ſuos filios maturato conſilio. Dominus autem qui & brutis indidit inſtinctum, ut alerent natos ſuos, & judicium hominibus præbuit ut filiis ſuis omnia, quibus indigent, procurarent; num ille ignorat unus, quod nobis eſt ſalubre, ut hoc non eligat præ iis, quæ nobis nocerent? Deus eſt ergo non ſolum parentum omnium optimus, ſed quid nos deceat, quid non, hoc toto cœlo præ aliis parentibus cognoſcit. *P. Segneri in Meditat.*

Cum recentes patimus gratias, Deo gratias agere debemus ob illa, quæ contulit beneficia.

Jubet S. Paulus, orationi gratiarum actionem propter accepta jam beneficia accedere. Convenientius autem videtur, quod hæc actio gratiarum præcedat nova poſtulata; nam præter quam quod noſtrum grati animi officium erga Deum recens cauſa eſt, propter quam ille ſua in nos dona effundere perſeveret, divinæ erga nos liberalitatis recordatio efficit, ut fidentius confugiamus ad eum; & confidentia hæc optima eſt diſpoſitio ad ea, quæ petimus obtinenda. Ita David olim urgebat Deum, ut ſecum miſericordia uteretur, oſtendens ſpem ſuam, qua ſibi quamprimum illum opitulaturum confidebat: *Miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.*

Pſ. 56.

Aliæ quæcumque cauſæ nobis quidem oſtendunt, quid nobis permittere valeat Deus; ſed nihil magis certos nos facit auxilii Dei, quam eorum quæ pro nobis fecit, memoria. *Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus.*

Pſ. 16.

Cæterum caveamus, ne incidamus in illuſionem eorum, qui nullo in diſcrimine habere videntur communia, & generalia Dei beneficia, & qui peculiares illi gratias minime rependunt. Dei Beneficia maxime vulgaria, fiunt peculiaria per ſingularem applicationem, qua ea nobis erogat. Charitas ejus tunc etiam cum ad omnes homines extenditur, non minus noſtrum ſingulis attenta eſt, quam ſi ſoli paternis ejuſdem curis perfrueremur. Non igitur minus propter generales has gratias, quam propter perſonales, debemus Deo. *Idem.*

Metuendum nobis non eſt, ut iteratis precibus Deo ſimus importuni, neque illum faſtidire aut magnitudinem, aut numerum eorum, quæ ab ipſo petimus.

Ne vereamur importunos eſſe Deo propter multitudinem gratiarum, quas ab eo petere poſſemus. Nihil petamus inutile, nihil indignum, quod Deus concedat, ac iteratæ preces noſtræ erunt cauſa, propter quam recentibus gratiis augebimur. Sed ne timeamus quoque, vota noſtra in immenſum protendi, & deſideriorum noſtrorum magnitudine benefactoris aures obtundi. Ad eos tantum, qui liberalitate ſua ad inopiam adducuntur, pertinet, perturbari cum inſignes ab illis petuntur largitates. Cum illis ratio habenda eſt; illis re adhuc integra dicendum eſt modica depoſci, quemadmodum Berſabee a Salomone petebat: *Petitionem unam parvulam ego deprecor.*

Regum 3.

Gratiæ, quas Cœli, Terræque rex nobis erogando præſto eſt, eæ ſunt, in quibus videmur minorem habere locum ſperandi. Filius Dei cum Apoſtolis ſuis querebatur, quaſi nihil unquam petiiſſent ab illo: *Uſque modo non petiſtis quidquam*; nimirum, hactenus illi vota ſua ad res Dei ſui magnificentia parum dignas coarctaverant.

Joan. 16.

Aliquidne præterea requiritur, ut noſtras damnemus ſollicitudines, & foveamus filialem confidentiam in Dei Providentia? *Pater Segneri in Meditationibus.*

Vult Deus a nobis ſibi fieri noſtrarum neceſſitatum enumerationem, & egeſtatis confeſſione.

Cur vult Deus a nobis ſub oculos ſuos noſtras exhiberi neceſſitates? Num ignorat Deus quid nobis deſit, antequam ab illo petamus? Hoc illi ſane liquet: immo neque ſemper operitur, donec illum oremus, vota noſtra exauditurus; verum enim vero non ſemper, immo nec paſſim hanc ſervat rationem. Vult, a nobis ſibi fieri humilem egeſtatis noſtræ confeſſionem; orari, poſci, cum importunitate urgeri deſiderat. Numquid Pater Æternus ignorabat, quid cupere poſſet Jeſus Chriſtus? Tamen Salvator ſe ipſum ab univerſali lege non diſpenſavit: petiit, flagitavit, ineffabilibus gemitibus oravit. Ne ſperemus igitur nos aliter exauditum iri, neque exiſtimemus opem certius nobis adjuturam, quam cum diu precibus Deum fatigaverimus. Hac una conditione propoſita, Dei auxilium ſupplebit huic immodice anxietati, quæ nobis interdicitur. Beatus, qui confidit in Domino, & qui in illo ſpem ſuam conſtituit: ſimilis erit arbori ſecus decurſum aquarum conſitæ extendenti brachia ſua verſus aquas, quibus alitur. Nullum metuet æſtum, ubi incaluerit, eruntque folia ipſius ſemper virentia. Non labefactabitur, ubi ſiccitas ingruet, ac fructus ſuos uberes ferre non ceſſabit. *Idem.*

Deus Pater eſt miſericors ſemper paratus, ut nos exaudiat.

Non minima injuria, quam divinæ bonitati mortalis inferat, eſt queri, quod preces ſuæ minime exaudiuntur. Magis cupit Deus vera tibi dona conferre, quam ipſa illa recipere cupias. Sapientia ejus ipſam cupientes prævertit, & ipſa prior illis occurrit.

Sap. 6.

Cæterum querimonia tua illi adeo gravis eſt, ut omnino velit hac in re cauſam ſuam perorare, teque ipſum judicem hac in re ſtatuit. Pater Cœleſtis a te judicari vult, exigitque ut parumper attendas ſtudiis cordis tui probaturus cordis ſui erga te ſtudia. Si tu licet nequam; videlicet ad nocendum, quam ad beneficiendum pronior, filiis tuis non renuis ea, quæ iiſdem cenſes profutura, cur tibi ſuades, Patrem Cœleſtem, qui ſuapte natura infinite bonus eſt, tibi negare poſſit ea, quæ tibi conveniunt? *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter? &c.*

Luc. 11.

Verba ad permovendum aptiſſima, & numquam ſatis iteranda, ut noſtra confidentia roboretur. *Pater Segneri in Meditationibus.*

Nihil petamus, quod indignum ſit quod Deus nobis concedat, & certi erimus nos exauditum a Deo.

Si Deus nos non audit, nos ſumus in cauſa, qui ab eo non petimus Spiritum ſuum, unum illud, quod nobis neceſſarium eſt, unum, quod ſe nobis largiturum recepit; veluti bonus Pater, veluti Pater perſpicax, qui longe melius, quam nos novit neceſſitates noſtras, & quid nobis conveniat. Et profecto hic Patris Cœleſtis Spiritus, eſt Spiritus Sanctitatis, qui nos illi ſimiles facit, & ſine quo non ſumus filii ipſo digni. Ullumne aliud bonum eſt, quod potius ſit exquirendum? Hoc pignus eſt hæreditatis æternæ, & quia hæc nobis promiſſa fuit, certi ſumus nos illam conſecuturos. Quoad bona temporalia, hæc nobis Deus ſe procuraturum minime ſpopondit; vulgo enim ſaluti nocentiora ſunt, quam utilia. Subſiſtamus ergo in iis petendis, quæ neceſſaria ſunt, juxta ejuſdem Filii Dei conſilium, alia enim veluti corollarium nobis adjicientur. Hic ergo ſpiritus Sanctitatis præcipuum ſit votorum, ac petitionum noſtrarum objectum. Urgeamus, inſtemus, in oratione perſeveremus illud impetraturi. Urgentes hæ cordis ſervidi ſollicitationes tandem exaudientur, nec differet Deus ſarcire moræ damna, qua eidem placuit fidelitatis, & patientiæ noſtræ periculum facere. *Idem Ibidem.*

Quid ſit ſemper orare.

Non præcipit Jeſus Chriſtus, ut dies integros ad Altarium pedes obvoluti procumbamus; Oratio ita aſſidua cum reliquis vitæ Officiis ſimul eſſe non poſſet. Hoc petit ut quotidie aliquam temporis partem vacemus Deo, ac orationi: ſtatutæ tibi ſunt pro omnibus negotiis tuis horæ; nonne æquum eſt, ut orationi quoque tempus ſtatuatur. Secundo ſemper orare eſt ſancta hac exercitatione replere momenta omnia, quæ officia, & ſtatus tui tibi munera relinquunt inania; quorum id genus plurima inveniuntur in dies ab iis quibus oratio accidit perjucunda. Oratio denique ſit aſſidua, cum omnes actiones ad Dei gloriam tendunt, ſive bibas, ſive comedas, ſive quodpiam aliud facias, ſingula ad Dei gloriam converte. Hoc eſt ſemper orare; quia eſt Deum indeſinenter laudare, ſicut olim Propheta: *Benedicam Dominum in omni tempore; ſemper laus ejus in ore meo.* Triplex hæc orationis ratio numquid ſervari non poteſt? Haud ita ſane. Cur ergo fere numquam ex illis

illis amplectimur aliquam? *Pater Segneri in meditationibus.*

Oratio nobis eſſe debet pretioſa, licet Dei dona, quæ nobis promeretur, non ſpectetur.

Maxima injuria, quam ipſi nobis inferre poſſimus, eſt orationis exercitationem relinquere, hanc prætexentes cauſam, quod Deus nolle eam exaudire videatur. Mala hæc tentatio proficiſci non poteſt, niſi ex fallaci conceptu, quem ſibi adſtruit aliquis de Oratione, Si hanc intueremur non ſolum veluti medium ad gratiam obtinendum, verum etiam ut bonum per ſe dignum, quod a nobis habeatur in pretio, repulſa ejus gratiæ, quam fortaſſe immerito poſcimus, non ſane ita nos afficeret, ut vellemus etiam privari merito certo, quod orantes conſequimur. At nullone in diſcrimine habemus acceſſum, quem nobis oratio præbet ad Deum? facultatem colloquendi cum illo, & gratiam illius nobis conciliandi? Ex mortalium Principum aula diſcamus, quanti favor adeo ſingularis a nobis faciendus ſit. Ibi videbimus Aulicum explorantem occaſionem cum Principe loquendi, ſine alio conſilio, quam ſeſe illi cognoſcendum præbendi. Væ nobis ſi in veris negotiis noſtris minus perſpicaces fuerimus, quam filii ſæculi in inanibus meditamentis ſuis! Væ nobis, ſi poſtquam Deum noſtrum oraverimus, ſatis amplam nos conſecutos fuiſſe mercedem putabimus, eo quod digni habiti ſumus, qui eidem preces noſtras offerremus. Teterrima impii pœna, Sancto Job ea videtur: nullam ſcilicet amplius invenire conſolationem, & gaudium in Omnipotente, & illum nequaquam ſingulis momentis invocare: *Numquid poterit in Omnipotentem delectari, & invocare eum omni tempore?*

Jobi 27.

Hoc idem ſupplicium vereamur, niſi fideliter orationis adimpleverimus. *Idem Ibidem.*

Quomodo orari queat ſine intermiſſione.

Sanctus Paulus ait, ſine intermiſſione orandum eſſe quod impoſſibile non videbitur, ſi diligenter cum Sancto Auguſtino attendamus varios orandi modos. Orari poteſt, Sanctus hic Doctor ait, cogitationibus, deſideriis, lectione, labore, patientia. Cogitare de Deo, vel excitare in ſe beatæ vitæ deſiderium, eſt orare; Aſceticos, ſanctoſque libros legere eſt orare; hæc enim ſpecies eſt colloquii cum Deo: loquitur ille, & nos audimus: propter Deum laborare, eſt etiam orare, & ita eſſe oportere, docet Pater laudatus; etenim Apoſtolus ipſe, a quo ſine intermiſſione orare jubemur, jubet quoque laborare; ſi enim labor orationem intercidit, vel oratio jugis non eſt ultra de neceſſitate, vel labor non eſt amplius permiſſus. Similiter pro Deo pati, orare eſt. Jeſus Chriſtus toto paſſionis ſuæ tempore oravit, quamvis pauca verba proferret, ſemper enim paſſus eſt omnino Paternæ voluntati ſubmiſſus. Ita etiam ſine intermiſſione poteſt orari. *Sermo manuſcriptus.*

Petentes a Deo ea quorum indigemus eum cogere debemus.

A Deo aliquid orare, eſt omnes rationes afferre, omneſque tentare vias, ad Deum cogendum, ut quoquo modo preces noſtras exaudiat. Ad id autem quot diverſas rationes illi poſſumus afferre? Ipſa infelicitas noſtra nonne ſatis efficax ratio eſt, ut omnia nobis expectemus ab illo, qui erga miſeros, nonniſi miſericordiæ viſcera fovet? Intende aurem orationi meæ, dicebat Sanctus Rex David; quia malis repleta eſt anima mea. Eaque cauſa eo libentius nobis utendum eſt, quippe nobis nihilum noſtrum objiciens, noſque parvulos in oculis noſtris efficiens, magis magiſque ad effectus divinæ miſericordiæ diſponit. Sed quam rationum vim nobis non ſuggerit Dei omnipotentia, ſanctitas, magnitudo, ut nobis gratiarum ſuarum theſaurum aperiat? In illius mentem revocemus tantum infinitam ipſius miſericordiam, quæ nil tale merentes ſuis cumulat bonis. Dicamus illi cum Propheta: *Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam.*

Pſ. 24.

Vult etiam Deus, ut utamur auctoritate, qua beatorum animæ apud ipſum perfruuntur; præſertim vero vult nos in Jeſu Chriſti meritis confidere: *Protector noſter aſpice, Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.*

Pſ. 83.

Jeſus Chriſtus nonne jurejurando pollicitus eſt, nos ab illius Patre omnia impetraturos, quæcumque in ipſius nomine popoſcerimus? *Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. P. Segneri in Meditationibus in delectos Scripturarum locos.*

Joan. 16.

Gemendum eſt ob noſtra miſeriam, atque gemendo etiam oratur.

Cum nos docet Scriptura, quid ſit gemere, promiſcue verbis utitur orandi, atque gemendi. Oratio, & gemitus in ſacris unum, & idem eſt. Domine, inquit Propheta, *gemitus meus a te non eſt abſconditus.*

Pſ. 37.

Oratur tunc ſolum, cum gemitus emittitur, neque Deo accepta eſt oratio noſtra, niſi cum ſincerus eſt gemitus noſter. Oramus ergo cum miſeriam noſtram cognoſcimus, & cum miſeriæ noſtræ conſpectus nos cogit ad illum clamores attollere, qui ſolus inde poteſt nos liberare. Videte ſenſum hunc egregie ab eodem Propheta explicitum. Hic altius animum ejus perſeverat, ideoque accepta fuit Deo ejus oratio; & ob eamdem cauſam ſemper ſtabit tamquam exemplar iis qui voluerint diſcere, quomodo ſit orandum. *De profundis* miſeriæ meæ *clamavi ad te Domine.*

Pſ. 129.

Hæc tota eſt orationis ſubſtantia. Sanctus Rex ſuam confitetur miſeriam, eaque ipſi videtur extrema; hujus cognitio eum clamare cogit; ſcit, Deum tantummodo poſſe illi in miſeria, qua conficitur, opitulari; ideoque ad unum hunc ſuos gemitus, clamoreſque convertit. *Lambert.*

Oratio eſt quædam thuris ſpecies, quæ aſcendit uſque ad thronum Dei.

Oratio pretioſum eſt thymiama aſcendens uſque ad thronum Dei; Ex omnibus muneribus, quæ mortalis offerre poteſt Deo, oratio illi eſt acceptiſſima. Dei eſſe nequis, niſi infinitam illius majeſtatem veneraris, niſi laudes ejus concinis, niſi illi tuam operis egeſtatem, niſi ſuas gratias deprecaris. Sed recordare, orationem, quæ pretioſum eſt coram Deo thymiama, orationem eſſe animæ humilitate; orationem eſſe confugientis ad Deum, qui ſuas agnoſcit miſerias; & quia novit, Deum unum educere poſſe illam de infelicitatis abyſſo, in quam cecidit per peccatum. *Idem.*

A pauperibus orandi modus addiſcendus eſt.

Vin' abſolutiſſimum orationis exemplar habere? Vade ad pauperes. Vide calamitoſos hoſce homines præ Templi alicujus foribus præſtolantes eleemoſynam. Vix ab illis viſus fuiſti, cum tibi catervatim occurrunt; te circumundique obſident, ut te flectant ad miſerationem: objiciunt oculis tuis ſuas infirmitates. Quam diſerta eloquentia ea attingunt argumenta, quæ ſunt ad perſuadendum aptiſſima! Æternam felicitatem tuam in ea ſtipe conſtituunt, quam a te præſtolantur; obteſtantur te per Jeſu Chriſti vulnera, per ſanctiſſimam illius Crucem, per ea, quæ in Religione ſacerrima ſunt, & ad opem ſibi ferendam impellunt. Præſtantiſſimum homini Chriſtiano documentum! Ideo animadvertunt Sancti, a Providentia præ templorum foribus pauperes collocari, ut fideles ab illis efficacem Dominum rogandi rationem edoceantur. Heu! pauperiores in oculis Dei, quam mendici in oculis hominum, fortaſſe nos pudet noſtram fateri paupertatem, ac petere medicinam iis malis, quæ nolumus confiteri, & cum infideli villico dicimus, *mendicare erubeſco.*

Luc. 16.

Attamen hominis gloria eſt humiliter miſeriam ſuam confiteri coram Omnipotenti. *P. Segneri in Meditationibus.*

Per effectum ſuæ bonitatis Deus nobis præcipit ut oremus.

Quare Jeſus Chriſtus docet nobis eſſe indeſinenter orandum? *Oportet ſemper orare.*

Luc. 18.

Deus cordis noſtri deſideria cognoſcit, antequam eadem animo concipiamus; gaudet ſua in nos effundere beneficia; gratiæ, quibus nos prævertit, cum nondum illis concupiſcendis pares eſſemus, videntur ea ſpondere nobis, quæ ille noſtris deſideriis eſt conceſſurus. Preces noſtræ nonne aliquo modo ſunt contumelioſæ infinitæ illius liberalitati? Bonitas illius poteſtne conciliari cum voluptate audiendi ſuſpiria noſtra, fluenteſque lacrymas noſtras intuendi? Poteſt utique; quia complacet ſibi Deus ſuas nobis gratias communicans, noſque ſuaviſſima dilectione complectitur, cum præcipit, ut ſine intermiſſione illi vota noſtra, preceſque ſiſtamus. *Oportet ſemper orare.*

Ibidem.

Ad myſterium hoc intelligendum, & diſſipandum quidquid nobis eſſe poſſet illuſionis occaſio, animadvertamus, quid interſit diſcriminis inter preces, quas terræ Principibus ſiſtimus, & eas quas Deo nuncupamus. Preces, quas homini fundimus, nullius ſunt utilitatis; ſunt tantum onerosæ; & niſi impetramus, quæ petimus, dici poſſumus oleum, operamque perdidiſſe. Idcirco nobis utilius eſt, quod homines petitiones noſtras prævertant, quam prolixis precibus aſſiduoque famulatu eorum beneficia coemamus. E contra vero preces, quas Deo fundimus certam ſemper habent utilitatem, ac ſunt fœcunda meritorum origo. Quot enim virtutum actus exercentur orando? Actus Religionis: creatura tunc cognoſcit Deum tamquam ſupremum illud ens, a quo pendet. Actus Fidei: Qui orat certus eſt, poſſe Deum juſtis petitionibus ſuis ſatisfacere. Actus Spei: Fidelis certus eſt, ſe, quæ petit, vel aliquid etiam utilius conſecuturum. Actus humilitatis: oratio confeſſio eſt noſtræ imbecillitatis, ac miſeriæ. Actus perſeverantiæ, quia primæ repulſæ diuturnæque moræ exhauriuntur, quin prohibeant, quominus inſtemus aliquid a Domino per importunitatem impetraturi. *Idem Dominus omnium; dives in omnes, qui invocant illum*, dives in eos, quos voti damnat, quia quæ cupiunt conſequuntur; dives in eos quorum precibus ſubſcribere non videtur; quia nihilo ſecius referunt fructum orationum ſuarum, & meritum orationis.

ad Rom. 10.

Nihil ergo melius divinam erga nos bonitatem oſtendit, quam hoc indeſinenter orandi præceptum. *P. Segneri in Meditat.*

Divitibus panis quotidianus petendus eſt, & pauperes illum petentes a laboribus ceſſare non debent.

Deus in ſingula momenta nobis largitur bona, quæ in ſingula momenta ſarta, tecta tuetur; itaque quotidie eidem occurrere debemus tamquam pauperes, & ege-

& egeni, qui omni ope deſtituti ſunt, omnibus deficientes. Pauperes in hunc incidere ſcopulum poſſunt; ut ab omni labore ceſſent, prætexentes ſibi victui ſuo neceſſaria tantummodo eſſe petenda, ad illa obtinenda. Bipalmaris illuſio! Mens patris filiorum ſuorum neceſſitatibus conſulentis fuitne umquam illorum inertiam, ignaviamque fovere? Neque dixeris; ſi laboribus mihi neceſſaria comparo, cui bono hæc etiam mihi petenda ſunt? Labor noſter inutilis eſt, niſi Dei manus illi benedixerit. Recedat, ſatis eſt omnipotens hoc brachium, & omnes laborum noſtrorum fructus peribunt. Ita cum Dominum rogamus, ut det nobis panem noſtrum, animæ, vel etiam corporis panem, non ideo nos immunes eſſe cenſemus ab ea lege, quæ omnibus hominibus irrogata eſt; *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Sed petendum etiam eſt; ut Deus conatibus noſtris arridere dignetur, noſtriſque laboribus benedicere. Non dives, non pauper prætermittere poteſt petitionem hanc: *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, namque hac oratione permotus Cœleſtis Pater noſtris animæ corporiſque neceſſitatibus conſulit. Nobis timendum non eſt, ut Deus nobis noſtrum deneget panem, nobis inquam filiis ſuis, cum large effuſeque ipſis etiam brutis animantibus neceſſarium victum ſuppeditet: *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum*. Quamnam illi ferimus injuriam, cum de bonitate illius diffidentes per illicitas, pravaſque vias victum nobis comparamus? Serviamus illi tantum ea cum fidelitate, quam patri ſuo debent filii; non deſunt illi ſexcentæ rationes nobis ſubveniendi, & nos potius a noſtra fidelitate ceſſabimus, quam ille ab effuſiſſima ſua erga nos liberalitate. *P. Segneri*.

Pſ. 146.

Nobis quotidie petendum eſt, quin ſolliciti ſimus de craſtino.

Si dicimus *da nobis hodie*, nobis de craſtino laborandum non eſt. Pro hodierna, craſtinaque ſimul die petere argumentum eſſet diffidentiæ; quam Pater Cœleſtis in filiis pati non poſſet. Manna Iſraelitis in unam tantum diem dabatur; ſed ne uno quidem die intra annorum quadraginta ſpatium defuit illis. Da ergo mihi, Domine, ſpiritalem eſcam, videlicet gratias, omniaque ſubſidia neceſſaria ad recte agendum, & in virtutis via progrediendum. Quam ſuave eſt hoc edulium iis, qui illud guſtare norunt. Sed hoc ſub nomine panis a te peto; ſatis mihi eſt, ut in tui amore, quæ vita eſt animæ meæ, me communiat. Eſcam quoque corporalem te poſcere debeo, Domine; ſed neque hujus copia, neque ſuavitas ſunt votorum meorum objecta. Quod unum mihi neceſſarium eſt, panis eſt quem flagito, citra omnem cupiditatem eum ſpecto, nitorem, ac delicias, quas parit opulentia. In paterna tua bonitate tantum confido, ideoque panem quotidianum duntaxat a te peto: eadem quotidie fruor largitate; quam ſuave mihi eſt quotidie eidem gratiarum mearum obſequium offerre. *P. Segneri in Meditationibus*.

Panis petendus fidenter eſt, & nomine panis omnia corporis ſubſidia intelligenda.

Domino dicimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ut ex hac loquendi ratione intelligamus, qua fidentia panis hic ſit a nobis poſcendus. Volumus alimenta, pater ea ſemper tribuit filiis, tamquam omnino neceſſaria, quin ea veluti gratiam concedat. Attamen ne ſperemus ſaltem horum alimentorum copiam, ſi nihil agimus propter Deum: æquumne eſſet illum ſaturare, & ſaginare animam noſtram, ut Rex Propheta loquitur, cum interim eidem deſervire non conamur? *Si quis non vult operari, nec manducet*. Denique dicimus: *Da nobis hodie*, ut omnem nobis in diem craſtinum curam auferamus. Sæpe in viis ſalutis deſpondemus animos, ne ſubſidia, quæ illas ſuaves ſtatim nobis efficiunt, repente deficiant. In hodiernum igitur dumtaxat diem cogitemus, quemadmodum hic, & alibi præcipit Dominus: *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum*. *Idem*.

2. Theſſ. 3.

Matth. 6.

Solum neceſſarium petendum a nobis eſt.

Conſideremus hæc verba: *Panem noſtrum quotidianum da nobis*; in his omnia ad corporis noſtri victum neceſſaria continentur. Primum; hæc alimenta dicuntur *panis*, ut intelligamus victum, non delicias eſſe inquirendas; nobiſque utendum terræ hujus bonis eodem modo, quo communi eſca, videlicet pane. Secundo dicimus *panem noſtrum*, ut iis contenti, quæ Dominus e re judicat dare nobis, non quæramus ea, quæ poſſidentur ab aliis. Tertio poſcimus panem noſtrum quotidianum, ut diſcamus coercere inexplebilem bona bonis aggerendi libidinem, quod faciunt avari divites, *qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines*. Hoc eſt petere quod ſuperfluum, & ſupervacuum eſt, mollitiei, & ſuperbiæ alimenta: Verus Chriſtianus in iis immoratur, quæ neceſſaria ſunt corpori, ut anima Deo alacrius ancilletur. Quarto dicimus, *da nobis*, ut oſtendamus qua fiducia a Deo nobis petenda ſint corporis alimenta, cum iis uti volumus eidem impenſius famulaturi. *Segneri in Meditationibus*.

Baruch. 6.

His verbis a Deo petimus opem noſtris neceſſitatibus congruam.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Quemadmodum Pater jure obedientiam exigit a filiis ſi participes fieri velint hæreditatis eorum; ita filii merito expectant ab illo victum ſuum, ita ut omnibus officiis ſuis rite valeant defungi. Hæc autem præſertim expectant, cum vident parentes ſuos bonis difluere, ſe vero omnibus deſtitutos eſſe. Quis autem pater eſt, qui æque dives ſit, ut Deus noſter? Quinam ſunt filii pauperiores, indigentiores, nobis? Ita nos admonet Dominus, ut fidenter a Cœleſti Patre ea petamus, quibus indigemus; non quod ille præſto non ſit, ut ſponte illa ſuppeditet, ſed ut omnia bona ab illo uno proficiſci meminerimus. *Pater Segneri in Meditationibus*.

Duplicirerum genere indigemus ſpiritualium & corporalium.

Ceterum duplici in diſcrimine ea ſunt, quorum indigemus, ſpiritualia, videlicet, ac temporalia. Quorum illa ad animam ſpectant, ad quam nutriendam ſpirituali opus eſt alimento. Hæc autem ſunt corporis, cui materialia alimenta, indumentum, rectumque ſunt neceſſaria. An verebimur, nos a Patre Cœleſti non impetraturos congrua hujuſmodi neceſſitatibus ſubſidia? Patres ſecundum carnem filiis ſuis illa minime negant; hos educent, & edoceri curant vitam Chriſtianam, licet tantillum iis inſit religionis, quod vero pertinet ad corpus, nulla in re deſunt. Ne dubitemus ergo in omnibus neceſſitatibus noſtris ad Cœleſtem Patrem confugere: gratiam illas cognoſcendi precemur, poſtmodum autem fidenter, ut iiſdem ipſe conſulat, obteſtemur. Conſideremus hæc verba, *panem noſtrum da nobis* in eorum ſublimiori ſenſu, videlicet quatenus ad ſpiritualem eſcam referuntur. Primum omnium animæ noſtræ alimentorum, nomine panis ſignificatum eſt adorabile Jeſu Chriſti corpus in Euchariſtia: *hic eſt panis, qui de Cœlo deſcendit*. Sub eodem nomine panis alia etiam alimenta ſpiritualia ſignificantur, divinum verbum, oratio, conſolationes, lumina, lacrymæ, quæ orationi comites accedunt, & præſertim ſubſidia, quæ tamquam valida propugnacula nos in ſtatum adducunt hilariter obediendi mandatis Domini, & illius beneplacito acquieſcendi. Si hæc petimus ſubſidia ſub ſimplici nomine panis, non ideo minus epulæ ſunt per ſe exquiſitiſſimæ, ac ſuaviſſimæ; ſed illas ob id cupere debemus, tamquam ad nutriendum, confirmandumque ſpiritum accommodatas. Salvator igitur hoc in loco vult, nos uti nomine Panis, ad auferendum immodicum deſiderium, quo ſpiritualium deliciarum teneremur; atque ut eo contenti pane, quem nobis largitur, & qui in ſtatu noſtro nos decet, non deſideremus etiam cum hoc panem aliorum. Filii, qui ex ſe nonniſi egeſtate laborant, numquid jus non habent a te victum ſuum petendi, Pater omnium ditiſſime, & amantiſſime! Ita eſt, Deus meus noſtra obedientia, ac miſeria tituli ſunt, jus nobis præbentes omnia ea, quorum egemus, a te depoſcendi. *Segneri Meditationum*.

Joann. 6.

Deus tunc precum noſtrarum effectum concedit cum utiles ſunt noſtræ ſaluti.

Si quid petimus tamquam perutile noſtræ ſalutis medium, & voti damnati non ſumus, credamus, hoc nequaquam eſſe medium illud per quod ſalvare nos vult Deus; & ſtatuamus ſalutem noſtram operari eo modo, quo ille præceperit. Filius a patre cultrum expetit ad panem ſecandum; pater, qui timet, ut filius ſibi vulnus inferat, non tradit cultrum filio, ſed illi panem, quo indiget, frangit. Ita Deus nos ſemper exaudit, cum ſalvari tantum cupimus, ſi enim minus concedit, quod ad ſalutem requirimus, ſalutem ipſam concedit, ad quam referendum eſt quidquid petimus. Da ergo nobis Domine, Sanctum Spiritum, quem a te filii tui petunt, & qui nos filios tuos facit. Doce nos orare, uti opus eſt, & nobis tribue quidquid neceſſarium eſt, ut ſicuti oportet, oremus. Jubes nos petere cum fide, ardore, perſeverantia. Da nobis fidem, fervorem, perſeverantiam. Pater Cœleſtis, filii tui famus; nihil ex nobis habemus, & a te petimus univerſa. Largire nobis ea, quæ petimus in oratione, per quam poſſumus & petere, & obtinere univerſa. *Tourneux in Anno Chriſtiano. Tomo 6.*

Ad precum noſtrarum effectum obtinendum cum fide conſocianda ſunt

Filii Dei mos erat fidem exigere ab illis, qui aliquid non vulgare petebant. Ita egit cum duobus cæcis, ut ſibi oculorum acies redderetur orantibus: Creditiſne, inquit, me facere poſſe, quod poſcitis? cumque ſe credere affirmaſſent, tetigit eorum oculos dicens, fiat vobis ſecundum veſtram fidem. Salvator hoc facto innuebat, orandum eſſe cum fide; fidem obtinere quidquid petitur, & quemadmodum S. Jacobus calem docet. eum, qui ſine fide petit, numquam ea quæ petit conſecuturum. Neque ideo credas, Deum aliquando non exaudire preces cum tenui fide, vel etiam nulla fuſas; quippe exaudivit preces Patris Increduli in Evangelio: ſed tunc id agit per miſericordiam, quam nullo jure ſibi promittere poſſunt; tunc oratio non meratur eam, quam recipit gratiam. Sed qui cum fide in oratione petit, quæ ſunt petenda, obtinet omnia; nam juxta explicitum Jeſu Chriſti verbum, omnia poſſibilia ſunt credenti. *Idem ibidem*.

Ad Dei gratiam obtinendam ardenter petere debemus ſed ſemper in nomine Domini.

Dei dona requirunt cor extenſum, ut illa recipiat. Deſiderium dilatat cor. Vult Deus nobis ſuam gratiam conferre; ipſi vero illam nondum ſatis concupiſcimus. Differt ergo, quæ largiri vult, ut impenſius optemus, & per deſiderii incrementum noſmet illis recipiendis dignos præbeamus. Uſque modo nihil petiſtis in nomine meo, dicit Dei Filius Apoſtolis ſuis: Plura quidem illi petierant, ſed ea in Jeſu Chriſti nomine non petierant. Ignorabant illi hunc mediatorem eſſe, per quem & petere debebant, & recipere. Jeſus Chriſtus illos ſenſim erudiebant, & gradatim adducebat ad perfectionem, ad quam erant proventuri. Ut peterent in nomine illius, ab iis cognoſcendus erat tamquam mediator, ideoque etiam Deus; nam juxta Apoſtoli Doctrinam mediator inter Deum, & hominem Deus eſſe debet ſimul & homo, donec firmam acquirerent fidem, diſtinctamque notionem divinitatis Chriſti Jeſu, qualem poſt hujus reſurrectionem obtinuere, ſinebat illos orare eo modo, quo oraverunt Patriarchæ; ſed nondum eos palam erudiebat, ut in nomine ſuo orarent. Hoc illos docuit pridie quam moreretur, ut poſt reſurrectionem, quæ fidem ipſorum erat excitatura, poſſet hoc pacto orare, & exaudiri. *Tourneux in Anno Chriſtiano. Tomo 6.*

Eccleſia publicas preces indicit, ut peccator particeps fiat orationis juſtorum.

Filiis ſuis etiam, atque etiam Eccleſia publicas preces commendat, ut juſtis peccator admixtus, & juſtorum precibus ſperet, quod ſuis obtinere non poſſet. Publica oratio eſt oratio Eccleſiæ, ideoque Sanctorum. Verum eſt eos omnes, qui hiſce precibus interſunt, ſanctos non eſſe; & ſi ſeorſim orarent, de orationum ſuarum virtute illos dubitare poſſe; ſed ubi orant in communi, oratio eorum fulcitur, ac elevatur precibus fratrum ſuorum, qui Deo ſunt jucundiores. Denique, Sanctus Auguſtinus ait, gemit columba, columba exauditur; videlicet Eccleſia pudica iſta, ac innocens ſponſa orat, & exauditur. Sed ſive preces noſtras cum Eccleſiæ precibus conjungamus; ſeu noſmet precibus Sanctorum commendemus, contendamus dignos noſmet exhibere gratiis, quas Sancti pro nobis depoſcunt. Quantum enim cumque valeant apud Deum, non ſemper audit illos, cum pro aliis deprecantur; non quod minus acceptæ illi ſint eorum poſtulationes, ſed quia illi, pro quibus laborant, pares non ſunt recipiendo ea, quæ pro ipſis petunt. Te orantes, Domine, pro vitæ præſentis neceſſitatibus, multo magis pro omnibus neceſſitatibus animæ noſtræ precamur. Tellus hæc arida eſt, quæ ſine voluntario gratiæ tuæ imbre, quem ipſe reſervas juxta Prophetæ verba, iis, quos reſpicis tamquam populum, atque hæreditatem tuam nihil producere poteſt. Terram hanc viſita, Domine, & ne permittas, alienum ei dominari; jure enim tua eſt, & nemo præter te ejus poſſeſſionem æquo jure ſibi poteſt vindicare. Effunde ſuper illam ſalutares influxus, & fructus te dignos afferet. *Idem*.

Oratio Mentalis, & Meditatio &c.

Meditatio eſt ſpiritus, & cordis ſtudium.

MEditari generatim loquendo non aliud eſt, quam attente cogitare. Peccator ita ſæpe meditatur: *Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo*. Tamen meditari hodierna die verbum eſt ſacris rebus devotum; & duo complectitur cogitationem, & ſenſum. Ita ſimpliciter cogitare verba, ex quibus conflata eſt oratio, quæ recitatur, quin attendatur eorum ſignificatio, hoc meditari non eſt. Cogitare ſenſum, quem verba complectuntur, ac in eo ſubſiſtere, ne hoc quidem eſſet meditari. Meditari eſt ea cogitare, quæ recitantur, ita ut in recitante excitentur ſenſus meditationi conformes. Meditatio ſtudium eſt mentis ſimul, & cordis. Adnitendum non eſt, ut orationum, quæ Domino offeruntur, ſenſus rite concipiantur, niſi ut foveamus ſenſus concordes verbis, quæ pronuntiamus: ſenſus amoris, confidentiæ, humilitatis, contritionis &c. Cum mens, & cor in precibus noſtris conſociabuntur, tunc verum erit dicere, nos meditari non ſecus ac Columbam, quæ ſimul cogitat, & gemit: *Quaſi columbæ meditantes gememus*. *P. Segneri in Meditationibus*.

Pſalm. 35.

Iſaiæ 59.

Per meditationem anima guſtat delicias contemplationis.

Meditatio eſt cibus animæ, ſed hic tamen amarus eſt; contemplatio vero eſt ſuave exercitium, ubi anima laboribus, diſtractionibus, erroribus mentis vacua, in requie majores adhuc fructus, quam in ſimplici meditatione colligit. Cur vero non ſtatim contemplationi vacandum eſt? Quicumque hæc loquor, oſtendit; ſe nullum habere uſum orationis: Hoc eſſet contra prima principia peccare. Et ſane contemplatio nonne eſt perfecta meditatio, quæ non fit tam longis ratiociniis, ſed ſimplici, leni, facili intuitu, & effundit plus minuſque gaudii in cor, ſecundum gradum, quo anima ſanctam hanc exercitationem proſequitur? Verum audebimuſne intuitum docere a cognoſcendo per ſimplicem inanitum ea, quæ antea cognoſcere non ſtuduimus per partes? Sponſa, hoc eſt, anima ſancta deliciis affluit, ſibi auribus ejus accidit dilecti ſui ſponſi nomen. Quare? quia jampridem aſſuevit conſiderare perfectiones omnes, quibus efficitur amabilis: *Totus deſiderabilis, talis eſt dilectus meus*. *Idem ibidem*.

Ad contemplationem nonniſi perveniri poteſt.

Cumulari vellemus inſignibus orationis favoribus, quin illos quodammodo fuerimus per laborem, & meditationis crucem promeriti. Quæ temeritas, quis error? In contemplatione quidem anima ſuaviſſimis flammis divinæ charitatis ſuccenditur, ſed hic ignis in meditatione inflammari conſuevit: *Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardeſcet ignis*. Ne pudeat nos igitur re adhuc integra clamare *tamquam filius hirundinis, & gemere tamquam columba*. Alioquin in occaſionibus noſmet vincendi, intelligemus ſublimioris generis orationem ad quam noſmet attollere voluerimus ante tempus, nobis nequaquam eſſe aliud, quam proceram arborem foliis, quidem onuſtam, ſed fructibus vacuam, eo quod ſatis profundas radices non jecerit. Heu! Quot preces inutiles, quia labiis dumtaxat hærentes! Ullane æquior eſſe mihi poteſt pudoris ac pœnitentiæ cauſa, quam hactenus ignoraſſe meditationem, cum vocali oratione conſociare? Quam pretioſos fructus ex oratione collegiſſem, cum hic jejunus, & egenus inveniar? Sancte Spiritus doce me orantem meditari. Illumina mentem meam, & levitatem meam fige, ut attentus precibus, quas recitat lingua mea, earum aſſequar ſenſum. Verum ſimul emove cor meum, ut eliciam ſenſus amoris, confidentiæ, ac reverentiæ conformes verbis, quæ profero. Ita gratia tua opem mihi ferente, o Deus, mens ſimul & cor in oratione mea conſociabuntur, ut cognoſcam, & diligam Legem ſanctam tuam. Si hoc ſanctum exercitium mihi moleſtum videtur, curabo, ut nutriat animam meam, ut illam purificet, ut illam præparat guſtandis deliciis contemplationis. Quam beatæ ſunt animæ, quæ ſeſe uſque ad Thronum tuum attollunt, ibi magnalia tua admiraturæ! Quænam pax, quæ ſuavitas in intima hac unione tecum! Sed earum beatitatem admiratus meminiſſe debeo illuc nonniſi per laborioſam meditationis viam perveniri. Poſt hæc, Domine, non peto, ut ingrediar ſublimes haſce vias, per quas electas animas tuas deducis; ſatis ſuperque beatus, ſi ad te viis ſtratis, & & communibus perveniam hoc unum poſco, ut tantum tibi fidelis ſim, quantum debeo. *P. Segneri in Meditationibus*.

Pſalm. 38.

Anima in Oratione ſemet attollit ſupra ſe, conjungens ſe Deo

Ratio comparandi in hac quoque vita animæ noſtræ honorem incomparabilem; eſt noſmet orationi tradere, ac ſæpius quam fieri poſſit, noſmet ſub Dei oculos ſtatuere. Eſt cum illo colloqui, ultro citroque verba reciprocare, & excipere. Anima hiſce momentis rerum mortalium oblita ſe attollit, & ſe conjungit cum ſolo objecto, quod colit. Cætera ſibi indigna videntur; ſenſuum voluptates, ſæculi honores, nullo ipſa habet in diſcrimine. Hæc non eſt amplius Jeruſalem vaga, quæ ſeſe abjiciat tradens ſemet objectis eadem indignis; hæc eſt Virgo Sion, pudica Sponſa, quæ calcat hæc omnia terrena; & cui nihil magis placere poteſt, quam adſpectus, & vox Cœleſtis Sponſi, in quo omnem gloriam, ac felicitatem conſtituit. *Idem ibidem*.

Lucrum inæſtimabile, quod percipit anima ex mentalis Orationis exercitatione.

Oratio mentalis eſt inſignis perfectionis materia: & Oratio Dominica uberrima ſeges eſt pro omni genere Orationis mentalis. Bipalmatis, ac periculoſus error eſt arbitrari mentalem orationem ad Regulares tantum, & Eccleſiaſticos pertinere. Maximum in Eccleſia malum eſt, & fraus dæmonis ſæcularibus maxime noxium his perſuadere, orationem hanc non eſſe pro illis, qui in mundi commercio verſantur: nihil enim Sanctorum ſententiæ magis oppoſitum invenitur. Quomodonam fit, exclamabat S. Tereſia, quod non omnes ad te per Orationem conantur aſcendere? Mirum eſt, Chriſtianos, qui per Baptiſma facti ſunt filii Divinæ adoptionis, non adnitantur noſſe rationem conſueſcendi cum Deo! ſciunt ſe impares eſſe, ſe eo deſtitutos eſſe dictitant ſpiritu, qui neceſſarius eſt ad rationem hanc perdiſcendam; ſibi tempus deeſſe jactitant in ſanctam hanc exercitationem traducendum; hoc denique nimis arduum eſſe, nimiſque difficile. Quid inde? Terra univerſa criminibus difluit, quia nemo eſt,

qui

quia nemo eſt, qui applicet mentem ; & cor ad interiorem Orationis exercitationem. *Ratio recitandi Orationem Dominicam.*

Quemadmodum ſpiritus humanus poteſt ſimpliciter cogitare non ſolum, verum etiam ratiocinari de rebus, eiſque impenſius contemplandis diu inhærere, ita tres ſunt ſpecies Orationis, quarum prima dicitur Conſideratio, altera Meditatio, tertia Contemplatio. Conſideratio vix ſubjectum attingit, & parum immoratur ; Meditatio ratiocinatur, & rem ipſam ruminat ; Contemplatio vero animam illi adnectit. Conſideratio fere ſine labore fit ; ſed qui negligunt Orationis exercitium ut de mundi rebus cogitent, vivunt mundo, non Deo. Neque arbitremur quiſquam ſe labiis orantem, cor autem a Deo longe ſemotum habentem vivere, tamquam verum Filii Dei diſcipulum ; Sancti enim, qui ſciunt, quid ſit Oratio, dicunt eſſe elevationem, non quidem vocis in aerem, ſed mentis, & cordis in Deum. Nemo igitur credat ſe vivere Deo, vel propter Deum, niſi illum dies, noctesque ex toto corde quærat. Cæterum nemo cauſetur ſuarum multitudinem curarum, quibus Orationi vacare prohibetur ; nemo umquam extitit pluribus majoribuſque negotiis impeditus, quam Apoſtoli, quorum provincia erat totius mundi converſio. Hac in re ſatis eſt eorum unum intueri, Paulum videlicet, qui poſt prolixam enumerationem eorum, quæ fuerat perpeſſus, addit : *Præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* (1. Cor. c. 11. 28.) Tamen homo iſte tot rebus diſtentus, quibus diſtrahi poterat, tempus nanciſcebatur, quo orationi vocaret ; vacaret autem, ut quemadmodum de ſe ipſo fatetur, cum Angelis in Cœlo conſueſcere ſibi videretur. Ibi cor illius erat, non ſecus ac theſaurus ejus. Vivo, ajebat, at non amplius ego vivo, vivit autem in me Chriſtus. *Cardinalis Bellarminus in Opuſculis ſuis.*

Vita activa ceſſabit aliquando, ſed contemplatio æternum ſubſiſtet in Cælo.

Quantumvis ſancta ſint vitæ activæ munera, nonniſi intra vitam hanc ſubſiſtere poſſunt. In Cœlo nulli erunt alendi pauperes, nulli rudes erudiendi. Omnia hæc charitatis officia ceſſabunt cum miſeriis, quæ eorum ſunt fundamenta ; ſed Mariæ pars non ceſſat. Animæ conjunctio cum Deo, qui ceſſatura ſit, augebitur, ſemper erit magis intima, atque perfectior. Marthæ convivium abiit, illud vero Mariæ manet adhuc. Tunc micas colligebat famem ſedatura ; nunc ſaturatur, æternumque ſaturabitur eodem verbo, quod hic infra lac eſt infirmorum, ac debilium, in Cœlo vero panis eſt grandium, & fortium. Poſt hæc quiſnam ambigit, Mariæ partem meliorem non eſſe, quis illam imitari nolit ? Sed ut hanc imitetur ; hoc eſt, ut ſpiritus ſeſe convertere poſſit ad ſupremam hanc veritatem, ad cujus imagines creatus fuit, amoveat procul opus eſt objecta omnia ſenſibilia, quibus ſeptus eſt, & quæ illum a Deo revellere conantur ; ut illud agglutinent ſibi. *Sermo primus Accademiæ* 1675.

Quomodo diſcendum ſit orare mentaliter.

Qui volunt ſe ad orationem formare, initium ducere debet a primo ejuſdem faciundæ modo, videlicet per conſiderationem, cum enim nondum aſſueti ſint interioribus exercitationibus, cumque aliunde ſint obnoxii diſtractionibus ſenſuum, nequeunt diu eidem inhærere ſubjecto, eiſque ſatis eſt pias aliquas animadverſiones efficere. Sed per hoc orationis genus via ſternitu ad alia, & licet conſideratio non ſit niſi poſtremus orationis gradus ; tamen pluris facienda eſt, quam alia plura pietatis exercitia ; quia breve ſpatium colloquii, & conſuetudinis cum Deo, majorem adfert animæ utilitatem, quam plures actiones bonæ extrinſecus dumtaxat factæ. *Ibidem.*

Intima animæ unio cum Deo eam ſuper terram in ſublime attollit.

Duplex eſt divinarum unionem genus. Per primam, ipſi unimur divinæ voluntati, *unio virtutis* ; per alteram ; Deus nobis unitur ; *unio gratiæ.* Hæc ſita eſt in ſuaviſſima communicatione amoris divini, illa in perfecta conformitate voluntatis noſtræ cum Dei voluntate. Per utramque ad ſanctam cum Deo neceſſitudinem pervenitur. Sancta hæc neceſſitudo animæ communicat magnitudinem prorſus divinam. Regia majeſtas illis, qui familiarius accedunt ad Regem, afflat quemdam magnitudinis habitum, qui eos extollit, ac impares facit rebus iis aggrediendis, quæ abjecta ſunt, & indigna. Horum tamen magnitudo nihil habet non humanum, quia majeſtas ; quæ hanc illis communicat, prorſus humana eſt. Sed majeſtas Dei erga animam, quæ familiariter cum illo per contemplationem converſatur, divinam illi imprimit magnitudinem, quæ non patitur, illum ſeſe demittere ad contemptibiles ſæculi vanitates, ac ad terræ, terrenorumque colloquiorum voluptates. Quidquid ad Deum minime tendit, adeo eadem videtur indignum, ut in hoc ne momento quidem mentem ſuam figere debeat. Qui eam videt, & audit, hæc pietatem afflare videtur : Tota illius vita perpetuum eſt divini beneplaciti complementum ; infinita quippe ſuavitas, qua per intimam cum illo unionem cumulata eſt, efficit, ut quidquid intrat in illam, redoleat hujus unionis jucunditatem, & illa, ut ita dicam, convertat erga Deum objecta omnia, quæ illius imaginationem percellunt. Intima hæc ſuavitas, quam ex cæleſtibus percipit communicationibus, eſt veluti divina unctio, quæ præſtat, ut amariſſima quæque fiant eidem dulcia, & jucunda, eodem, præterpropter, pacto quo fructus immaturi, & amari ſaccharo incocti omnem acrimoniam atque amaritudinem amittunt. *Modus recitandi Orationem Dominicam.*

Æternæ veritates parum nos movent, quia illas non meditamur.

Si Divinæ legis præſtantiam, & bonorum, quæ obſervantibus promittit ſe, necnon pœnarum, quas ſe negligentibus minitatur, magnitudinem intelligeremus, numquid illam infringere auderemus ? Qui fit, ut hæc objecta adeo magna in ſe ipſis, parum adeo nos afficiant, niſi quod altius animos noſtros minime pervadunt ? Quid autem efficere poteſt, ut pervadant, niſi ſeriæ animadverſiones, crebræque meditationes ! Idcirco Deus populo ſuo etiam, atque etiam commendant, ut dies, noctesque meditetur legem ſuam, ut eam ſemper oculis ſuis habeat ſuppoſitam, ut inter manus ſuas deferat ſcriptam, ſed multo magis in mente, ac animo ; ut domi ſuæ illam meditetur, & in agro illius non obliviſcatur. Quid fortius ? Et profecto niſi ea, quæ noſtri muneris ſunt, ſæpius a nobis recogitantur ; ſtatim obliviſcimur, & obliti haud ægre violamus. *P. Nepveu in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Animo deficere non debemus ubi ariditatem in Oratione invenimus.

Expectas, ut in Oratione oſtendat tibi Deus faciem hilarem, ac ridentem, ut cum illo quamdam familiaritatis anſam arripias ; ego vero dico, ubi ſimpliciter eidem aperueris cor perfecta familiaritate ; futurum ut non amplius tibi negotium faceſſat, quo vultu ille tibi occurrat. Oſtendat ille tibi, quantum ipſi placuerit, faciem ſeveram, iratamque, ne animo deficias ; numquam magis amat, quam cum minitatur ; neque enim minitatur, niſi ut periculum faciat, ut humilitatem inſpiret, ut a mundo divellat. Num quæris tantum conſolationem, quam tribuit Deus, vel Deum ipſum ſine ſenſu conſolationum ? Si primum, non igitur amas Deum propter ipſum, ſed propter te ; hoc in caſu nihil apud illum mereris ; ſin e contra Deum unice quæris, eum magis inveniens, cum tui periculum fecerit, quam cum te ſuis deliciis ſaginaverit. Cum te conſolatur, timendum eſt tibi, ne magis conſolationibus ejus, quam ipſi inhæreas ; cum autem tui facit periculum, ſi adhuc illi adhæres ; uni illi adhæres, non ejus ſuavitati. Heu ! quam fallimur ! Inani conſolatione inebriamur, cum ſenſibili guſtu ſuſtinemur ; arbitramur nos jam ad tertium uſque cœlum raptos fuiſſe ; & nihil ſolidum tenetur adhuc. Sed ubi ſumus in fide ſicca, & nuda, tunc animos deſpondemus, quia tunc de omnibus actum eſſe exiſtimamus. Tamen nihil hoc inanius ; tunc enim omnia perficiuntur, dummodo non excidat animus. *Fenelon Cameracenſis Archiepiſcopus in Aſceticis.*

Malū, quod adfert animæ Orationis defectus, & quam vim & ſuavitatem anima inveniat in Oratione.

Si repente ab oratione recedimus, vel niſi aliquantiſper eidem vacamus, ac inde aliquid alimoniæ deſumimus, jam omnibus ad bene agendum viribus deſtituimur. Spiritualis eſcæ defectus animæ faſtidium parit. Ubi munus adimplendum eſt tuum, iners es, languidus, ad minimum quemlibet ictum cedis, ob leviſſimam injuriam exardeſcis, verbo, ſexcentis in diebus ſingulis peccas. Panis, quo Deus juſtos alit in Oratione omnis habet ſaporis guſtum, & convivium eſt a Deo ſtratum, ubi anima quibuſcumque deliciis ſaginatur ; *Juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei.* (*Iſaia* 67.) Quid enim animæ jucundius, quam Dei ſui perfectiones cognoſcere, illum amare, & ſe ab eodem amari intelligere ? Hæ non ſunt nugaces, ineptæque deliciæ, quæ ſæcularium ſitim augent ; ſunt ſolida, & vera gaudia, quibus cor ipſum repletur. Ita ſapiens ea panis nomine appellat ; quia panis cibus aptiſſimus eſt alendis, & roborandis hominibus : *Panis cor hominis confirmet.* (*Pſalm.* 103.) *Auctor Recens.*

Oratio ſuaviſſimus eſt animæ Chriſtianæ cibus.

Quaſnam epulas nobis mundus offerre poteſt, quæ cum hac valeant comparari, qua Deus hominem nutrit, ſecum in Oratione colloquentem ? Illæ ſuperficie tenus afferunt voluptatem ; hæc cor ipſum penetrat, ac vi, & fortitudine replet. *Inventi ſunt ſermones tui, & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei.* (*Jerem.* 15.) Quod nobis exhibet mundus eſt tamquam virulentæ dapes, quarum dulcedo blanditur quidem gutturi ; ſed quarum mox lethalis ſentitur amaritudo. E contra cibus, quem nobis in Oratione præbet Deus, ſimilis eſt cupediis ſuaviſſimis ſimul, & ſaluberrimis, quæ quo magis guſtantur, eo magis perquiruntur. Saturamini, ſi fieri poteſt, hac eſca cœleſti, numquam nauſeam creabit ; & quo

quo magis replebimini, eo magis fames veſtra augebitur. *Idem.*

Terreſtrium rerum vanitas nequit cognoſci niſi fiat cum æternis comparatio.

Quicumque mentem, ac memoriam habet repletam acri, ac vivida recordatione rerum earum, quæ ad fidem, alteramque vitam pertinent ; licet ea non cogitet inceſſanter, neque ſemper habeat mentem magnarum harum veritatum meditatione occupatam : tamen cum aliqua vehemens ingruit tentatio, ac fortis communis hoſtis ſuggeſtio : tunc illarum virtutis præſentiam agnoſcit, quippe paratus eſt propulſandis cogitationibus, quæ fidei adverſantur. Tunc enim ratio, quam fideles fulcit, ac roborat, auget pretium rerum ſupernaturalium. Recentes colligit vires ex temporalium rerum cum æternis comparatione, & præter propter in anima facit, quod Sanctus Auguſtinus in re ſatis vulgata, ac naturali admiratur ; nempe calx, ſi tangatur, frigida videtur, qua in re omnes ſenſus conveniunt ; ſed ſi illi injiciatur aqua, ſtatim effervescit, ac inflammatur. Hoc ipſum terrenis rebus accidit, quæ cum æternis collatæ, propter uſum, qui de illis fieri poteſt præſtantiſſima fiunt ; & ſine hac comparatione, nullius pretii habentur. *Ex Italo tractatu, cui titulus : L' Eternità Conſigliera.*

OTIUM.

Labor, negotium, otii fuga, neceſſitas, qua fideles omnes operari tenentur &c.

MONITUM.

TRia potiſſimum ſunt argumenta, cum quibus præſens hoc aliquem habet nexum, & quorum pars vel eſt, vel eſſe poteſt. Primum eſt vita molis, quæ ſimul otioſa eſt, quam otium nocentem facit, licet illa nihil aliud mali efficeret. Alterum eſt temporis jactura ; conſtat enim otioſos homines magis quam cæteros temporis jacturam facere. Tertium denique cura eſt ſalutis æternæ ab omnibus adhibenda ; nequicquam enim vivimus, & inutile terræ pondus ſumus, niſi magnum hoc, unicumque negotium nobis jugiter ob oculos mentis verſatur, & niſi ad id omnes ætatis, induſtriæque nervos contendimus. Quemadmodum autem ſingulis hiſce argumentis titulum, locumque ſeorſim reſervavimus ; de otio pertractantibus nobis adnitendum eſt, ne illud cum aliis confundatur argumentis. Ideo generatim dumtaxat de hoc verba facimus, hoc ſuppoſito, quod ad otium vitandum ſemper labori vacandum eſt, & vacandum utiliter.

Quamquam de otio ſingillatim, ac ſeorſim a quovis argumento loqui hoc in titulo ſtatutum ſit, otii tamen fugam ſeparare non poſſumus ab operandi neceſſitate, quæ nobis adeſt, & quæ unum, & idem efficit argumentum, cum alterum viciſſim ex altero neceſſario conſequatur ; itaut parum interſit, uter huic materiæ titulus præfigatur. Animadvertendum eſt tamen, quemadmodum varia argumenta, cum quibus iſtud cohæret, ſibi mutuo facem præferant, mutuiſque firmentur auxiliis, eos omnes, qui de illis egere, omnia ferme permiſcuiſſe, ut ſuas conciones replerent. Nobis vero cura fuit ea tantum colligere, quæ ad otium, & laborem generatim pertinent, hoc poſito, quod ſciat unuſquiſque, quibus operibus vacare debeat pro ſtatu, munere, & conditione ſua : atque ſi otium dicimus actionum noſtrarum inutilitatem, vel laborem, qui non refertur ad Deum, huic rei, tamquam conditioni, quam ſupponimus, innitimur.

Cæterum cum ad mortalium pleroſque hoc argumentum pertineat, in irritum cedere, nullamque ferre utilitatem non poteſt, quippe curſum inhibet malorum, quæ parit otium ; neque dubitandum quominus plurima auferentur mala, ſi omnibus hominibus perſuaderi poſſet, ut otium effugerent, atque utilem operam navarent.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

I. PRimum argumentum, quod ſeſe ſtatim offerat, inevitabile eſt neceſſitas otii quidem fugiendi, laboris vero amplectendi. Inevitabilem voco neceſſitatem, quia ad id tenemur quatenus homines quatenus Chriſtiani, quatenus peccatores. Quæ tria totidem nobis apertiſſimas, certiſſimaſque ſuppeditant rationes, quæ pro concionis partitione poſſunt aſſumi.

Prima qualitas, quæ nos operari, ideoque otium evitare cogit, eſt qualitas hominis. 1. Si hominis naturam inſpicimus, factus, & natus eſt ad laborem, ut avis ad volandum, quemadmodum Biblia teſtantur. Satis eſt paulo ſerius cogitare corporis illius partes, omnium organorum ipſius nobilitatem, perennem vitalium ſpirituum motum, qui ubertim ſeſe in omnes artus effundunt ; quæ omnia ſatis oſtendunt vitam illi ad agendum eſſe conceſſam, & illum jam mortuum cenſeri, ubi agere ceſſat. In ipſo etiam innocentiæ ſtatu, illi otiandum non erat, quemadmodum inquit Scriptura Geneſ. 2. *Poſuit Deus hominem in paradiſo voluptatis, ut operaretur, & cuſtodiret illum &c.* Ita quatenus homo, nemo a labore immunem ſe debet arbitrari, non magis dives, quam pauper, nobilis, quam ignobilis. 2. Sin homines conſideramus non in ipſa natura, ſed tamquam politici corporis membrum, plurima illi obeunda ſunt officia, quibus ſine labore, & cura nequit perfungi. Exercenda illi ars eſt, munus, magiſtratus, & homo otioſus inutilis eſt, ac ineptus. 3. Homo denique tamquam privatus aliquis inſpectus, rebus ſuis tenetur conſulere, familiæ curam gerere, domeſticis invigilare &c. quæ omnia laborem ſupponunt ; & quodnam malum eſt, cum otiatur, atque ſolatiis tantum, & oblectamentis indulget ?

Chriſtiani qualitas nos arctius ad laborem obligat, & plures laboris occaſiones ſuppeditat. Satisfaciendum eſt religionis officiis, bona opera exercenda ſunt, patiendum eſt, animi ægritudines cohibendæ, & charitatis opera efficienda. Nullum officium, præceptum, conſilium, virtus eſt, quod plurimo non ſtet labore, & otium in Chriſtiana lege tamquam damnationis ſtatus damnatur. Quid igitur de mundi ſectatoribus, quid de mundanis mulieribus ſentiendum eſt, omnem vitam ſuam in otio tranſigentibus &c.

Denique quatenus peccatores ad laborem tenemur, quæ enim poſt primi hominis crimen nobis inflicta fuit pœna ? Acceptandus igitur nobis eſt labor noſtro ſtatui, & vocationi inhærens in ſpiritu pœnitentiæ, & veluti facilior, atque validior ratio non ſolum ſatisfaciendi juſtitiæ Dei pro iis, quæ commiſimus, criminibus, verum etiam prohibendi, ne præteritis accedant recentia : qui quidem duo ſunt effectus pœnitentiæ.

1. Nihil nobis majori cum ſedulitate effugiendum eſt, quam otium propter mala, quorum fons eſt, & origo, ac propter bona, quibus nos privat. 2. Nihil facilius, quam otium evitare utiliter muneris, religionis, ac ſtatus officiis perfungendo. 3. Nihil tamen eſt ubi magis deficimus ; plerique enim vel inertem, otioſamque vitam ducunt, vel alteri cuipiam rei operam navant, præter eam, ad quam illis incumbendum eſſet ; vel inutili, irritoque labore fatigantur. II.

1. Chriſtianus non debet inertem ducere vitam, quæ oppoſita eſt ſpiritui Jeſu Chriſti, Evangelicis inſtitutis, ac illis, quæ de nobis concepit Deus, conſiliis, cum ad Chriſtianam religionem evocavit. 2. Non omnia negotia Chriſtiano ſunt digna ; quædam fugienda, & evitanda ſunt tamquam ſaluti noſtræ periculoſa, quædam tamquam inutilia, quædam vero veluti noxia. 3. Quænam ſint, & quænam eſſe debeant hominis Chriſtiani opera. III.

In hæc